

**De viris quibusdam qui in academia Lipsiensi Anatomes peritia  
inclaruerunt.**

**Contributors**

Rosenmüller, Johann Christian, 1771-1820.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

[Leipzig] : [publisher not identified], [1815-1819]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/zdzcqweg>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

In. 1540

(1.)

IO. CHRIST. ROSENMVELLER

VNIVERSITATIS LITTERARVM

LIPSIENSIS


H. T.

PROCANCELLARIVS

PANEGYRIN MEDICAM

D. VII. MENS. APRILIS MDCCCXV.

CELEBRANDAM



INDICIT.

---

*De viris quibusdam qui in academia Lipsiensi Anatomes peritia  
inclaruerunt. I.*

73

Pen 1





Quae de rebus et scriptis eruditorum in academia nostra traduntur, qui anatomes peritia claruerunt, tam disiecta sunt et adumbrata, ut haud inutile quidquid me suscepturum putaverim, si illa colligerem, hocque modo unum alterumve libellum perutilem ab oblivione vindicarem, aut memoriam meritorum fere extinctam renovarem, et de rebus nonnullis gravissimis uberius exponerem.

Quamquam eiusmodi laboribus aetas, qua vivimus, parum favere videatur, tamen omnibus artis peritis gratissimum foret, crediderim, si comperirent quid a maioribus in litteris, quas ipsi profitentur, praestitum sit, qualis eorum fuerit institutio, et quibus fatis eorum industria vel adiuta vel impedita sit.

Primus eorum, qui in hunc censum venire meretur, absque dubio est MAGNVS DE HVND, PARTHENOPOLITANVS, a coaevis etiam appellatus MAGNVS DE MAGDEBORCH. Is quidem anatomicus fuisse videtur haud praeceptivus, attamen primis adnumerandus,



qui studuerunt, partium humani corporis cognitionem delineationibus illustrare. Quin immo a nonnullis falso iudicatus est primus, qui descriptiones anatomicas figuris ligneis expressas in vulgus ediderit \*).

Natus erat anno MCCCCXLIX. Parthenopoli, et re vera genere nobili, ut testatur CARPZOVIVS\*\*), qui refert GEORG. FABRICII Annales ad ann. MDXIX. pag. LXXXIV. expresse affirmantis, Hundium fuisse de familia saxonica Canum. Nostris quoque temporibus domus illustris DE HVNDT vetustae nobilitatis in Lusatia superiori viget. Rectore ANDREA FRIESNERO Wonsidel. socio IOANNIS SENSENSCHMIDTII Norimbergensis typographi doctissimi, noster DE HVNDT anno MCCCCLXXXII. numero civium academicorum Lipsiensium adscriptus est, et iam iam anno MCCCCLXXXIV. Lipsiae dignitatem Baccalaurei philosophiae obtinuit, qua ornatus anno MCCCCLXXXVI. Iuvenalis editionem cu-

---

\*) IOH. ZACHARIAE PLATNERI prolusio de Magno Hundt, tabularum anatomicarum, ut videtur, auctore, Panegyri Iohannis Christophori Pohlii praemissa. d. X. Septembris MDCCXXXIV. 4.

\*\*) Neu eröffneten Ehrentempel merkwürdiger Antiquitäten des Markgraffthums Oberlausitz. T. II. Cap. IV. pag. CXG.



ravit, cuius exemplum in bibliotheca curiali reservatur \*). Anno MCCCCLXXXVII. philosophiae Magister atque facultatis philosophicae Decanus creatus est. Anno MCCCXCVI. unus de quatuor resumtoribus fuit lectionum publicarum, qui primo in matricula philosophica recensentur, atque in hac facultate munere fungebatur Professor Physices. Anno MCCCXCIX. edidit: Seneca Cordubiensis moralissimi de moribus humanae vitae cum epistola MARSILII FICINI de officiis cuilibet necessariis. 4to. Dicavit hunc libellum fratribus IOANNI et PAVLO DE BRETENBACH (Breitenbach), academiae tum temporis civibus, et praefationem inscripsit ex bursa Saxonum d. XV. Cal. Maii, ann. MCCCXCIX. extat in bibliotheca Paulina.

Eodem anno locum obtinuit in senatu academico et provincia Rectoris Magnifici administrata, dignitatem sibi acquisivit medicinae Baccalaurei, simulac etiam collegio maiori principum socius addictus est, denique d. III. post Exaudi ann. MCCCXCIX. creatus est Doctor Medici-

---

\*) Origo et increment. tyogr. Lips. pag. VIII. No. XXIV.



nae. Tandem vocatus est medicus Comitum STEPHANI DE SCHLICK in Valle ioachimica peculiaris; hoc munere per sex annos fungebatur.

Anno MDI. opusculum prodire iussit plagulas undeviginti complectens, pluribusque figuris ligneis ornatum, cui titulus est: Antropologium de hominis dignitate. natura. et proprietatibus. de Elementis. partibus. et membris humani corporis. De iuvamentis nocumentis. accidentibus. vitiis. remediis. et physionomia ipsorum. De excrementis et exeuntibus. De Spiritu humano eiusque natura. proprietatibus. et opibus. De anima humana et ipsius appendiciis. Per Magnum Hundt Parthenopolitanum Ingenuarum artium Magistrum in gymnasio Liptzen. Ad laudem dei et communem studiosorum hominum utilitatem quam accuratissime ex philosophorum libris congestum. Impressum et finitum est hoc Opus Liptzick per Baccalaurium Wolfgangum Monacensem Anno nostre salutis M. CCCC. I. 4to. de quo libro haud ubique obvio in scripto supra citato ZACHARIAE PLATNERI uberius exponitur. Anno MDV. DE HUNDT



Lipsiam rediit; etenim Rectore HENRICO RALE-  
VESHUSEN DE EIMBECK matriculae academiae no-  
strae MAGNVS HVNDT DE MAGDEBORCH iterum in-  
scriptus legitur.

Abhinc temporis DE HVNDT animum ad  
theologiae studium appulisse videtur, anno enim  
MDIX. creatus est theologiae Licentiatus, se-  
quenti vero theologiae Doctor, iamque praele-  
ctiones theologicas instituit, et anno MDIX. ty-  
pis IACOBI THANNESII excudendum curavit: Au-  
gustini L. de essentia divinitatis. 4to. Ti-  
tulo exempli in bibliotheca Paulina asservati in-  
scripsit quidam eiusdem aetatis haec verba: „hoc  
modo leguntur a D. HVNDT in lectorio Mai. Col-  
legii;“ sacrum esse voluit hunc libellum PAVLO  
SCHILLER, Philos. et sacr. litt. Professori, mai. Colleg.  
principum Collegiat. atque omnium theologorum  
infimum in eo se profitetur, cuius dedicationis  
exemplo sint quae sequuntur: „Tua spectabilitas  
qui ad viginti fere annos sacris litteris insudavit  
studiosissime, tua inquam dignitas illud ipsum  
tibi dicatum opus suscipiet et lucubrationes an-  
nexas. Si quid extraneum in ipsis, quod Deus  
avertat et longe absit, et ineptum invenerit, quod  
et nunc revoco iuxta morem nostrae scholae, amice



castiget“ etc. datum ann. MDIX. in Collegio Princip. d. XVII. Octobr.

Anno MDXII. vicesimo quarto die Novembris post mortem D. PAVLI DE SEYDA Art. et Theol. Prof. creatus est Canonicus capituli Misnici, atque anno MDXIX. Misenaë, quo pestis causa tum grassantis academia translata erat, obiit diem extremum. Caeterum affirmari certe nequit, an conferri poterit in HVNDTIVM nostrum proverbium illud: „Nomen habet omen;“ quamquam in Epistol. Obsc. Viror. hoc de eo refertur: „sed vereor canem“ — attamen hic probe tenendum, non omnibus canibus latrantibus vim etiam inesse morsu aliquid appetendi, et quod nostrum nimirum Canem attinet, de eo optime valet, quod testatur PLATNERVS hisce verbis in scripto supra iam commemorato: „Vir videtur fuisse priscae gravitatis, castusque religionis tutor, id quod ex Georgio Fabricio Chemnicensi, praestantissimo viro, cognoscimus, qui testatur: in illo viro nihil non ad severitatem fuisse compositum, eumque frequentius dicto usum: Inter seculares nugae sunt nugae, sed inter sacerdotes sunt blasphemiae.



Frater erat MAGNO DE HVNDT unicus cognomine ANDREAS HVNDT DE MAGDEBORCH, qui etiam in hac nostra academia vitam degebat, et Anno MDX. munus Procancellarii suum demandaverat Dr. ANDR. KAPPENER I. V. Dr. Is anno MDXI. creatus est Decanus facultatis philosophicae, eamque dignitatem anno MDXXI. etiam retinuit. Pro eo, cum in SCHNEIDERI Chronic. pag. CCCXXXVIII. ad h. a., tum in ECCII symb. P. III. de Colleg. minor. Princip. falso legitur MAGNVS DE HVNDT, Anno MDXX. collega vocatus est Collegii minor. Princip. atque posthac abiit, aut mortuus est anno MDXXXII. In errore ergo haud dubie versatur PLATNERVS, qui l. c. duos HVNDTIO nostro fratres fuisse commemorat.

Praeter scripta supra nominata etiam haec referuntur:

Codex Mscpt. Institutionum, quem Magnus Hundt Academiae testamento legavit \*).

Collecta a Dn. Magno Hundt, SS. Theol. Professore, Medicinae Doctore, in lib. II. Sententiarum — Quaestiones variae disputatae \*\*).

\*) Vid. Platneri Progr. l. c.

\*\*) Catalogus codicum Mssorum bibliothecae Paulinae in academia Lipsiensi concinnatus a L. Ioachimo Felleri, Cygneo,\*



Expositio super Donatum minorem.

Compendium Logices, lib. II.

Codicillum de proprietatibus terminorum, lib. I.

De sophismatibus lib. I.

Introductorium in universam Aristotelis physicam.

Commentarii in summam Philos. moralis, lib. I.

Brevis interpretatio regularum Iuris libri sexti.

Annotationes circa librum B. Augustini de essentia divinitatis.

Conclusiones super libros B. August. de civit. Dei.

Quaestiones breves super libros de anima.

Textualis interpretatio librorum de anima.

Conclusiones super Albertum de gradibus cognitionum.

Quaestiones super libros de physico Auditu.

Textualis declaratio libb. Posteriorum Aristotelis.

Conclusiones super XII libros Metaphysicae.

Varia problemata theologica.

Conclusiones textuales super IV libros Sententiarum.

---

Poes. P. P. et Acad. Bibliothecario etc. Lipsiae, Sumtibus  
I. Fr. Gleditsch. MDCLXXXVI. 12. pag. CCCCXXII. No.  
LXXXIII.



Quaestiones super veterem artem.

Tractatus de modo definiendi,

Tractatus de praeceptis Rhetoricae.

Oratio in Aula Doctorali \*).

Regiment wider etliche Kranckheiten der Brust, wider das Podagra und Franzosen \*\*).

Iam vero convertimur ad id, cuius caussa pauca haec praefati sumus. Indicenda nimirum est panegyris Viri morum et doctrinae elegantia ornatissimi,

**CAROLI THEOPHILI FRIEDRICH,**

LIPSIENSIS, MEDICINAE BACCALAVREI,

qui de vitae suae ratione haec scripsit:

Natus sum Lipsiae anno MDCCXCII. patre Ioanne Theophilo Friedrich, exactore vectigalium regio, matre Maria Regina, e gente Kühniana, quos parentes pro dolor morte mihi ereptos sanctissima semper memoria pie colam.

Primam institutionem accepi a praeceptoribus privatis, deinde beat. patris voluntatem sequutus, per semestre hibernum MDCCCIX. scholam Nicolaitanam sub auspiciis FORBIGERI atque LVNTZII frequentavi. Eodem anno mens. April. inter cives huius Academiae

---

\*) Scriptorum insignium, qui in celeberrimis, praesertim Lipsiensi, Wittenbergensi, Francfordiana ad Oderam Academiis a fundatione ipsarum vsque ad annum Christi 1515. floruerunt, centuria, ab auctore eius temporis anonymo concinnata, nunc vero in lucem edita a Ioachimo Iohanne Madero, Hannoverano. Helmstadii. Anno MDCLX. 4to. No. XLVIII.

\*\*) Jöchers allgemeines Gelehrten-Lexicon.



receptus, sequentium virorum praestantissimorum, quorum in me merita pio gratoque semper agnoscam animo, institutione usus sum. In philosophia beatum BREHMIVM, in aestheticis PLATNERVM, in physicis WEISSIVM, in botanicis SCHWAEGRICHENIVM, in chemi-  
cis atque pharmaceuticis ESCHENBACHIVM sequutus sum. In uni-  
versa anatome ROSENMVELLERV, in physiologia KVEHNIVM, in  
anthropologia PLATNERVM, in pathologia generali LVDWIGIVM,  
in pathologia speciali atque materia medica HAASIVM, in chirur-  
gia beatum GEHLERV, in therapia CLARVM, atque PLATNERVM  
de oculorum morbis disserentem audiui, denique vero aegrotos in  
Regio instituto clinico sub CLARI directione visitavi.

Anno MDCCCXI. a Gratoso Medicorum Ordine honoribus  
Baccalaureatus ornatus sum; anno MDCCCXIV. habitis praelectio-  
nibus publicis de haemoptysi examen rigorosum feliciter su-  
peravi. Iam dissertationem inauguralem Ordini Gratoso exhibui  
hoc titulo: De mensium suppressione.

Peracta disputatione publica, quam Candidatus  
d. VII. huius mensis sub Praesidio SENIORIS GRAVIS-  
SIMI, EXPERIENTISSIMI BIRKHOLTZII habebit, ego Pro-  
cancellarii auctoritate veniam Candidato dabo, ca-  
pessendorum ornamentorum Doctoris medicinae ac  
chirurgiae. Quam solemnitatem, ut Vos, Rector  
Academiae Magnifice, Celsissime Princeps, Illu-  
strissimi Comites, utriusque in hac urbe reipubli-  
cae Proceres, Ornatissimi denique et Humanissimi  
Commilitones, praesentia Vestra ornare velitis, ea,  
qua par est, observantia et humanitate rogamus.

---

Errata e praetermissu correctoris orta.

Pag. 1. lin. 6. camisse, leg. caruisse. Pag. 2. l. 12. mensruis, l. menstruis.  
Pag. 3. l. 4. malorem, l. maiorem. Pag. 5. l. 15. corellis, l. cordis.  
Pag. 8. l. 2. officiant, l. efficiant. Pag. 10. l. 3. panem, l. parum. Pag.  
11. l. 1. vecti, l. recti. Pag. 11. l. 10. vevsus, l. versus. Pag. 12. l. 12.  
officiuntur, l. efficiuntur.



(2.)  
IO. CHRIST. ROSENMVELLER

VNIVERSITATIS LITTERARVM

LIPSIENSIS

H. T.

PRO CANCELLARIVS

PANEGYRIN MEDICAM

DIE XXIII. MENS. IUNII MDCCCXV

CELEBRANDAM

INDICIT.

---

*De viris quibusdam qui in academia Lipsiensi Anatomes  
peritia inclaruerunt. II.*



IO. CHRIST. ROSENKRANTZ

UNIVERSITÄT ZÜRICH

LIPSIUS

PROF. DR. C. A. N. C. E. L. I. A. L. I. S.

TANIGUCHI MEDICAL



Quamquam MAGNVS DE HVNDT de quo nuper scripsimus, primus refertur, qui in Academia Lipsiensi scriptis anatomicis inclaruit, tamen ex illis ipsis satis apparet illum cadavera nequaquam disseccuisse. Omnino, cum Academia conderetur, munus Professoris Anatomiae peculiare plane defuit, neque a vero abhorret, Chirurgiae Professore ipsam etiam anatomicas praelectiones demonstrationesque habuisse atque serius munus Professoris anatomes cum munere Professoris chirurgiae coniunctum esse. Serius quoque theatrum anatomicum exstructum est. Olim enim modo hic, modo ille locus in usum sectionum anatomicarum destinatus fuit. Sic adhuc stipulatio scripta de anno MDLV legitur Philosophorum Ordini a Medicorum exhibita, quo ordo noster affirmat: *precario solum veniam impetrasse anatomias instituendi in vaporario Collegii rubri*. E quo documento facile etiam colligi potest, maiores nostros disciplinas anatomicas quippe perutiles et necessarias, magis probasse, quam nostri aevi homines, quorum sunt, qui nescire videntur, institutum anatomicum disseccandis cadaveribus atque conservandis humani corporis aliorumque partibus destinatum esse,



quique potius theatrum anatomicum diffamare velint tanquam Coemeterium inhonestum pestiferumque. Caeterum Senatus Lipsiensis inde ab antiquissimis temporibus studio anatomico profuit, cum iamiam Anno MDLXXXV. Mense Februar. d. II. corpus malefici decollati Medicorum Ordini ad dissectiones anatomicas instituendas concederet.

Quis primus fuerit anatomes in academia nostra Professor, certe referri nequit. Quantum sedula disquisitione explorare potui, primum locum obtinere videtur: SIGISMUNDVS SCHILLING, natus *Frankenstenii Silesiae* oppidi Anno MDLXXV die XXIV. Ianuar. Anno MDXCVII die XXVI. Ianuar. *Basileae* creatus est Artium Magister, ibidem etiam Anno MDXCIX d. XXXI. Ianuar. Doctoris medicinae dignitatem sibi comparavit. *Lipsiae* iura magisterii acquisivit dissertatione quam publice defendit *de arthritidis praeservatione et curatione*. Anno MDCIII quarto die mens. April. Collegio Beatae Mariae Virginis socius adscriptus est. Anno MDCV d. XXVII. Februar. in facultatem medicam receptus est. MDCIX die XVIII. Decembr. munus adiit Professoris Chirurgiae Ordinarii. Anno MDCXIII accepit provinciam Professoris Physiologiae Ordinarii; Anno MDCXIV Academiae Rector creatus est: Anno MDCXVI d. XXIII. Decembr. Sodalis Collegii maioris Principum; Anno MDCXVII Professor Pathologiae Ordinarius atque Decemvir, die XXVI. Februarii MDCXXIX autem Ordinis Medicorum Decanus atque Professor Therapiae Ordinarius. Anno MDCXX altera vice Rectoris Academiae provincia illi demandata est et anno



MDCXXII d. XIV. Ianuarii Senior Nationis Polonicae diem extremum obiit. Scripsit: *de procreatione hominis — de hepatis scirrho — de gonorrhoea — de apoplexiae essentia eiusque signis tum diagnosticis, tum prognosticis — de apoplexiae praeservatione et cura — de erysipelate s. rosa Germanorum.*

CHRISTOPHORVS PREIBISIVS natus est Anno MDLXXX Sprottae Silesiae urbis, ubi patrem habuit Georgium senatorem. Primo litteris operam dedit in Gymnasiis quae Brigae atque Breslaviae florent, deinde Olmutium se contulit in collegium Fratrum e Societate Iesu; quibus praecox iuvenis humanissimi ingenium ita placuit, ut eum ad sacra Romana sequenda perducere studerent, qua re, Anno MDXCIX Lipsiam fugit, ubi Anno MDC Philosophiae Baccalaureus: Anno MDCII Artium Magister, atque Anno MDCVII Assessor facultatis Medicae creatus est. Anno MDCXI dignitatem obtinuit Decani Philosophorum Ordinis atque loco Magistri Ioannis Neldenii defuncti Professor Philosophiae practicae designatus est. Huius muneris causa abdicasse se dicitur studio medico, cum iam in eo esset ut Basileae doctoris Medicinae dignitate ornaretur. Attamen scripsit: *Fabricam corporis humani octo disputationibus comprehensam in alma Lipsiensi publice discutiendam Lipsiae MDCXXI. 4.* Anno MDCXIII Collegio Principum minori socius adscriptus est. Anno MDCXV Iuris Licentiatus atque Anno MDCXVI Iuris utriusque Doctor creatus est. Anno MDCXIX inter Sodales Collegii Beatae Mariae



Virginis receptus est. Anno MDCXXVII cum fratribus suis ab Imperatore *Ferdinando II.* ad Nobilium ordinem evectus Comesque palatinus dictus est. Anno MDCXXXI Ordinis Iurisconsultorum Senior fuit, denique Anno MDCLI Rector Academiae, Physices Prof. Publ. Ordin. nationisque Polonicae Senior obiit caelebs. Huius viri effigies aeri incisa extat a *Ioh. Reinh. Schildknecht.* Fol.

MICHAEL LYSER natus est *Lipsiae* Anno MDCXXVI patre *Polycarpo* Theologiae Doctore Professore atque Superintendente. In patria urbe prima litterarum sibi acquisivit fundamenta, deinde *Hafniam* se contulit ubi *Bartholinus* anatomicus celeberrimus magnopere illum adiuvit, sociumque in theatro anatomico sibi elegit. A. MDCLVI in locum Dr. *Michaelis Heylandii*, qui *Sueciam* abierat *Lipsiam* Professor Medicinae extraordinarius vocatus est, eodemque anno d. XXIII. Iul. receptus quoque in Medicorum ordinem. Prius vero *Paduae* doctoris dignitatem sibi comparaverat *Lipsiae* autem haud diu commoratus est, post breve enim tempus *Daniam* rediit, ubi in urbe *Nicöping*, quae in insula *Falster* sita est, sedem sibi sumisit atque in hac non solummodo sed etiam in insulis *Laland*, *Monaque* prosperrimo cum successu medicinam exercuit practicam; sed anno aetatis tricesimo tertio expleto, tribusque vix hebdomatibus matrimonio inito elapsis, fatis humanis ereptus est d. XX. Octobr. Anno MDCLIX. *Lyserus* primus inter Germaniae anatomiae peritos fuit, qui artem cadavera dissecandi libro singulari docuit. Prima huius libri editio sub



titulo prodiit: *M. Lyseri culter anatomicus s. methodus humana incidendi cadavera.* Hafn. 1653. 8. — Edit. secunda: auct. recus. a Th. Bartholino Hafn. 1665. 8. — Editio tertia sub hoc titulo prodiit: *M. Lyseri culter anatomicus, hoc est methodus brevis facilis ac perspicua artificiose et compendiose humana incidendi cadavera; cum nonnullorum instrumentorum iconibus.* Accessit tertiae huic editioni *Caspari Bartholini Thomae filii administrationum anatomicarum specimen.* Francof. ex offic. Hafnienfi MDCLXXIX. 8. — Editionem quartam impressit *van de Water Traiecti ad Rhenum* omnium quidem minime probabilem, desiderantur enim ibi figurae una cum Bartholini praefatione eiusque additamentis. — Edit. quinta cum praefat. Th. Bartholini Lugd. Batav. 1726. 8. recus. 1731. 8. — Versio germanica legitur in libro cui titulus inscriptus est: *Ioh. Timmii Sammlung einiger zur anatomischen Vorbereitung gehörigen Schriften.* Bremen 1735. 8. — Praeterquam quod *Lyserus* una cum *Thoma Bartholino* doctrinam de vasis lymphaticis excoluerit, egregie quoque promeruit de osteologia, cum singulis ossibus carpi, numeris antea solummodo expressis, nomina pro figurarum similitudine daret.

*Michaelis Lyseri* sororem *Dorotheam* matrimonio iunxerat sibi *I. I. Reuter* cuius hic mentionem faciendam esse putamus, quia munus Professoris Anatomiae et Chirurgiae illi demandatum fuit. Eum vero extitisse tantummodo ex epitaphio eius mihi innotuit, cuius verba, secundum *Steppneri Inscriptiones Lipsiens.* p. 60. No. 184. haec sunt: „*Io. Iac.*



„Reuter Graetza Styrius natus 1591 die Iohannis, Philosoph.  
 „et Medic. Doctor Marburgi renunciatus, qua Theoriam,  
 „qua praxin eximius in Acad. Lipsiens. Chirurgices P. P.  
 „experientia variis peregrinationibus acquisita laudabilis,  
 „denat. 1623 die Feliciani.“

IOANNES ZEIDLERVS natus Anno MDXCVI Lemberga-  
 Silesius. Initio medicinam practicam exercuit *Dresdae* atque  
*Ileburgi*. Anno MDCXIX die XXVIII. Ianuar. *Lipsiae* Phi-  
 losophiae Magister creatus est: d. I. Maii MDCXXIII Medi-  
 cin. Doctor: quinto eiusdem mensis die MDCXXIV assessor  
 facultatis medicae: die XXI. April. MDCXXV Collegii mi-  
 noris Principum Sodalis: die I. Februar. MDCXXVI Prof.  
 Physiolog. Ordin. d. XXXI. Octobr. MDCXXI Prof. Anat. et  
 Chirurg. Ordin.: d. VIII. Iun. MDCXLIII Ordinis Medicorum  
 Decanus, Collegii maior. Principum Collegiatus atque The-  
 rapiae Professor Ordinarius. Ter Rectoris Academiae pro-  
 vinciam administravit, atque tandem die XIII. Novembr.  
 MDCXLV obiit. In aede Paulina ubi sepultus est monumen-  
 tum illi positum est, cuius descriptio legitur in: *Stepneri*  
*Inscript. Lips. pag. 66. No. 201.* Scripsit dissertationes: *de*  
*plica polonica sive novo cirrhorum symptomate — De ma-*  
*nia. — De incubo. — De dolore colico.*

IOANNES MICHAELIS SVSAT. WESTPHAL. Haereditarius  
 et Toparcha in *Benndorf*, natus Anno MDCVI decima mens.  
 Iun. die Vitembergae summos in Philosophia impetravit ho-  
 nores atque ius docendi ibi sibi comparavit Anno MDCXXX  
 dissertatione *de auro* quam publice defendit, Anno sequenti



*Lips.* dignitate doctoris medicinae ornatus est, A. MDCXXXII vero, locum obtinuit in facultate medica, Anno MDCXXXIII munus Professoris Extraordinarii Anatomiae et Chirurgiae; sequente vero anno d. IV. Iun. munus Professoris Physiologiae Ordin. illi demandatum est. Anno MDCXXXVI Collegio principum minori adscriptus est; Anno MDCXLIII Professor Pathologi Ordin. Socius Collegii maioris Principum atque Decemvir creatus est; Anno MDCXLVII denique munus Professoris Therapiae Ordinisque Medici Decani impetravit. Regendae Academiae provinciam septies administravit. Morte orbi erudito ereptus est Anno MDCLXVII d. XXIX Novembr. et scripta, quae sequuntur reliquit: *Collegium theoretico practicum de morbis subitaneis. Disp. XXIII. Lips. 1636 seq. 4.* — *De morbis ab incantatione et veneficiis oriundis Lips. 1650. 4.* — *Observationes medicae Lips. 1645. 12.* — *Opera omnia medico-chirurgica, praxis nempe clinica ad IOHNSTONI ideam, casus 26 formulae et arcana in MORELLVM et ordo visitandi officinas. Norimberg. 1688. 4.* Opus posthumum. Auctor erat multorum remediorum compositorum fortiorum diaphoreticorum. Effigiem eius aeri incidit Ioannes Dürrius.

Iis quae hactenus de vita et rebus quorundam virorum qui in academia nostra, sive docendo sive dissecando de anatomiae studio promeriti sunt, enarravi, proxima occasione oblata, ea addam quae de illorum virorum successoribus nota sunt.



Iam commendandus publice est Vir Clarissimus atque  
Doctissimus

CAROLVS GVILIELMVS IVNGHANNSS

MARTISBURGENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS

qui de vita sua atque educatione exponit quae sequuntur:

Natus sum Merseburgii anno superioris seculi octogesimo nono die XXIII. mens. August. patre Friderico Salomone Iunghannss Medic. practico, matre Iohanna Guilielmina Eleonora e gente Flachiana, quam mihi ante paucos annos morte ereptam vehementer doleo et per totam vitam lugebo.

Inter praeceptores Iaukius atque Hennichius laudandi mihi videntur, quorum cura et institutione effectum est ut anno aetatis XIII elapso in gymnasium Merseburgense deduci possem, in quo mihi Hennickius, b. Wagnerus, b. Erfurdtius et Engelhardtus, contigere praeceptores.

Post quatuor annos gymnasium reliqui et Dresdā me contuli ac Collegii Medici chirurgici ibi florentis doctores Raschigium, Haenelium, Demiani, Titium, Andream et Hedenum in theoreticis tum, tum in practicis medicinae studii disciplinis praeceptores nactus sum doctissimos atque benevolos. Paulo



post autem cum bellum prorupuerit, accidit ut superato examine coram Collegio Medico chirurgico, anno huius saeculi septimo ad legionis cohortem tanquam chirurgus missus sim, ubi per quinque fere annos chirurgi munere functus sum. Anno h. s. XI missione postulata atque honeste impetrata chirurgi castrensis munus deposui eodemque anno ad Lipsiensem literarum universitatem me contuli atque ab Excellentissimo Hauboldo, tunc academiae rectore magnifico inter cives academicos receptus sum. Ab eo inde tempore, scholas philosophicas, Illustr. Platneri, phyficas Excellent. Gilberti, chemicas Excellent. Eschenbachii, frequentavi. Hisce doctrinis instructus, quae aditum quasi parant ad accuratius artis medicae studium operam navavi anatomiae duce illustr. Rosenmüllero, quo monstrante cadavera quoque ipse dissecai. Physiologiam et pathologiam me docuit Excell. Kuehnus, therapiam Excell. Ludwigius, materiam medicam Exper. Haafius. Audivi quoque Excell. Eschenbachium de re pharmaceutica, Exper. Gehlerum de chirurgia theoretica, Exper. Ioergium de arte obstetricia atque Experient. Wendlerum de magnetismo animali. Exercitationibus quoque examinatoriis Illustr. Rosenmülleri et Eschenbachii interfui.



Anno h. s. XIII Baccalaureus medicinae creatus sum. Cum autem belli tumulta nostra provincia ac praecipue nostra mularum sedes turbata fuisset, eo-que tempore publica proclamatione iuvenes omnes ad arma capienda invitabantur, ego quoque iterum sponte nostras copias tanquam chirurgus primarius comitatus sum.

Pace autem restituta, examen practicum quod dicunt rigorosum superavi.

Cum ergo Candidatus doctrinam haud mediocrem nobis comprobasset, superest ut ultimum scientiae suae atque ingenii specimen dissertatione publice ab eo defendenda edat quod quidem faciet. d. XXIII. Iun. sub Praesidio SPLENDIDISSIMI ORDINIS NOSTRI DECANI EXPFRIENTISSIMI EXCELLENTISSIMIQUE LUDWIGII defensorus dissertationem quam ipse conscripsit sub titulo: *De Opio analecta quaedam historica.*

Quo certamine docto finito et ego faciam, quod mei muneris est et tribuam ipsi, instructus clementissime Procancellarii auctoritate, merita doctrinae ac diligentiae suae praemia. Rogo igitur observantissimis atque humanissimis precibus Rectorem Academiae Magnificum, Cellissimum Principem, Illustrissimos Comites, utriusque in hac urbe reipublicae Proceres, Ornatissimos denique et Humanissimos Commilitones ut huic solemnitati interesse, eamque praesentia sua splendidiorem facere, meque: *de imperitia qua nonnulli exercent artem medicam* differentem benevole audire velint: Cuius favoris Ordini meo mihi praestiti memoriam nunquam ex animo meo excidere patiar.

---



(3.)  
JO. CHRIST. ROSENMUELLER

UNIVERSITATIS LITTERARIAE

LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIUS

PANEGYRIN MEDICAM

A. D. XII. JANUAR. MDCCCXVI

CELEBRANDAM

INDICIT.

---

*De viris quibusdam qui in academia Lipsiensi Anatomes peritia  
inclaruerunt. III.*



JO. CHRIST. ROSENTHAL

PHYSICIAN

ALBANY

PHYSICIAN

PHYSICIAN

ALBANY

PHYSICIAN

ALBANY

The first published and in accordance with the provisions of the  
Act of 1820.



Quorum nuper enarravimus scripta atque fata virorum de re anatomica meritorum ii extranei fuerunt. Quum enim haec literarum Universitas ad exemplum Pragensis et Parisiensis ita esset constituta, ut totum corpus academicum in quatuor distributum sit nationes, quarum singulae privilegiis stipendiisque gaudent propriis, haud pauci permoti sunt, hanc sedem musarum sibi eligere, qui e remotioribus regionibus advenerunt. Superioribus vero temporibus jura ac privilegia nationum ita sunt illaesa conservata, ut paucissimi reperiantur, quibus, alienae, jussu Superiorum, adscriptis nationi, concessum fuerit, participes fieri beneficiorum, collegis alius nationis destinatorum. Pauci vero illi erant viri doctrinae, ingenii, et probitatis laude insignes, quorum eximiis vel in rem litterariam vel in Academiam meritis digna rependere praemia Superioribus visum esset.

Progrediamur autem ad Misnicorum Lipsiensiumque imprimis nonnullorum, qui de anatomes studio bene sunt meriti, laudem celebrandam. Olim ita academia Lipsiensis comparata constitutaque fuit, ut etiam illi, qui neque ingenio neque eruditione excellerint, si modo animis corporibusque integris vigerent, inde ab impetratis magisterii honoribus, per omnes professiones medicas, facili negotio, usque ad summos honores dignitatesque academicas ascendere potuerint.



Quid igitur mirum, si hac vitae academicae suavitate adducti in hac litterarum Universitate anatomes studio plures, quam forte aliquis exspectaret, per aliquod tempus operam dederint?

Inter quos autem primum nomino GODOFREDUM WELSCHIUM, qui Lipsiae d. XII. Novembr. MDCXVIII. natus in patria urbe scholaeque Portensi primam litterarum notitiam sibi comparavit. Anno aetatis suae vigesimo primo summos in philosophia honores acquisivit, quibus condecoratus, academias, quae in Italia, Anglia, Hollandia et Francogallia florebant, adiit.

Reduci in patriam TORSTENSOHNUS, Suecus militum praefectus, medici castrensis munus obtulit, quo per aliquod tempus functus est. Die XXX. Januar. MDCXLIV. Lipsiae munus obtinuit professoris anatomiae extraordinarii, eodemque anno die IV. April. dignitatem doctoris medicinae et chirurgiae; die XIII. Novembris ejusdem anni, medicorum ordinis assessor receptus est. Anno vero MDCXLVII. munus obtinuit professoris physiologiae. D. I. Septembr. MDCLXII. in collegium principum majus, atque d. XXIV. a. MDCLXX. etiam in collegium principum minus receptus est. D. IV. Novembr. a. MDCLXII. Professoris pathologiae munus suscepit, sequenti autem anno d. XXIII. April. Decemvir, d. XVIII. Januar. MDCLXIV. Professor therapiae ordinisque medicorum Decanus creatus est. Die V. Septembr. MDCXC. anno aetatis septuagesimo secundo diem supremum obiit Professor primarius, Academ. Senior atque Senat. Lipsiens. Physicus. In lucem prodire jussit quae sequuntur: *De gemellis et partu numerosiore. Lips. MDCLXVII. 4. — De sono. Lips. MDCXC. 4. — Vom Friesel. Lips. MDCLVII. quam commentationem primam HALLERUS esse in Germania putat, quae de morbo miliari agit; vid. HERM. BOERHAAVE Methodus studii medici emaculata et accessionibus locupletata ab Haller. Amstelod. MDCCLI. pag. 610. — Ratio-*



*narium vulnerum lethaliū. Lips. MDCLX. et MDCLXXIV. 8. — De medicis et medicamentis Germanorum. Lips. MDCLXXXVIII. 4. — Anatomia cerebri. Lipsiae MDCLXXIV. — La Commare dell Scipione Mercurio, Kindermutter - oder Hebammenbuch. Lips. MDCLIII. 4. Sub hoc titulo non duo opera, quorum unum Italica, alterum vernacula lingua conscriptum sit, extant, uti JÖCHERUS commemoravit. Tribus autem hoc ipsum opus prodiit partibus, permultis figuris ornatum atque conjugibus quatuor ducum Saxoniae, Electorisque, Sybilae Magdalenae dicatum. Imaginem Welschii aeri incudit KILIANUS Fol. GODOFREDI WELSCHII filius CHRISTIANUS LUDOVICUS Lipsiae XXIII. Febr. ann. MDCLXIX. natus est. Anno MDCXC. postquam ab itinere litterario per Italiam rediisset, Magister Lipsiensis creatus est, Doctoris Medicinae et Chirurgiae honores autem Vitembergae ann. MDCXCIII. sibi comparavit. Ann. MDCC. locum in ordine Medicorum Lipsiensi obtinuit, obiit autem I. Jan. ann. MDCCXIX. Scripta ejus sunt: *Basis botanica, sive brevis ad rem herbariam manu-ductio. Lips. MDCXCVII. 12. — Compendiosa status naturalis hominis historia. Basil. MDCXCII. 4. — Tabulae anatomicae. Lips. MDCXCII. et MDCCXII. Fol.* Continet hoc opus non solum singularia quae ipse, sed etiam quae RIVINUS observavit. — *De superstitiosa cura morborum. Lips. MDCCX. 4. — Examen renum succenturiatorum ibid.* inter alia et hoc paradoxon profert, renes succenturiatos, ad secer-nendum liquorem singularem destinatos esse, quem ad ductum tho-racicum adducerent. — *Diss. de verme cordis. Wittemb. MDCXCIII. 4. — De masticatione. Lips. MDCCIII. 4.**

JOANNES BOHNIUS natus est Lipsiae d. XX. Jul. MDCXL, patre Joanne mercatore Norimbergensi. Ann. MDCLVIII. mens. April. inter cives academicos Lipsienses receptus est, eodem autem anno Jenam se contulit, ibique per continuum annum ROLFINCKII,



MOEBII, SCHENCKIIQUE frequentavit praelectiones, postea in patriam reversus urbem ibi praeceptores habuit: WELSCHIUM, HEYLANDIUM, URSINUM, LANGIUM, AMMANNIUM et MICHAELEM. Anno MDCLX. praeside THOMASIO publicam defendit dissertationem de putredine. Ann. MDCLXI. Philosophiae Doctor, Artiumque Magister, eodemque anno Medicinae Baccalaureus, anno vero MDCLXIII. ejusdem Licentiatus creatus est. Eod. ann. d. VIII. Aug. iter instituit per Germaniam, Daniam, Belgium foederatum, Hispaniam, Angliam, Francogalliam et Helvetiam, quod unius atque dimidii anni spatio absolvit. Die V. April. MDCXLVI. dignitate Doctoris Medicinae Lipsiensis condecoratus est, postquam sub AMMANNI praesidio *Dissertationem de pleuritide vera* defenderat. Quibus peractis anatomicas et medicas habuit praelectiones, jussuque Medicorum ordinis dissectiones instituit anatomicas publicas. Post mortem MICHAELIS hujus loco, munus professoris anatomiae ordinarii atque locum in facultate obtinuit medica, munusque Physici publici urbis Lipsiensis. Die XX. Septembr. MDCXC. collegio principum minori, d. VI. Jul. MDCXCI. autem collegio principum majori socius adscriptus est. Eod. anno d. X. Septembr. munus professoris therapiae ordinarii, ann. MDCC. autem d. XVII. Aug. munus Decani ordinis Medicorum perpetui ipsi demandatum fuit, eodemque anno academiae Senior dictus est. D. XX. Januar. MDCLXVIII. filiam HULSEMANNI Theologi celeberrimi duxerat, quacum etiam nuptiarum solennia post L. annos repetita celebravit. Habuit ex illa liberos decem et septem, novem nimirum filios, filiasque octo. Quorum decem prima aetate diem suum obierunt; filius autem anno aetatis vicesimo jamque medicinae Candidatus; alter denique tricesimo, Jur. Doctor et Senator. Quum pedibus laboraret per multos annos sellae gestatoriae ope in auditorium medicum gestari



se jussit, habiturus ibi praelectiones, quibus operam dedit quam maxime. Anno MDCCXVIII. d. XVI. Octobr. acutissimos in planta dextri pedis sensit dolores, tumor exortus suppuratione solvebatur atque emisso pure, vulnus optime sanavit, sed accrescente in dies infirmitate d. XIX. Decembr. ejusdem anni, marasmo senili rebus humanis ereptus est, anno aetatis suae septuagesimo octavo. Merita defuncti, eruditione non solum, sed etiam dexteritate in tractandis morbis sibi comparata, agnoverunt omnes. Cum enim funus in aede Paulina conderetur in pompa funebri lugentes sequuti sunt: ordinis medicorum inclyti et omnes in academia nostra creati medicinae doctores; illos excipiebant Collegii minoris principum Collegiati; porro in hac universitate docentes; deinde Senatus urbis amplissimus, tandemque reliqui funeris comites, ita ut trecenti et sexaginta per paria juncti homines numero comprehenderentur. Pluribus abhinc antequam e vita discederet annis in aede Paulina sibi suisque epitaphium alabastrinum poni curavit. Litterarum commercium ei fuit multis cum viris iisdem celeberrimis sui aevi, inter quos CASPARUM et THOMAM BARTHOLINUM, LAURENTIUM BELLINUM, OLAUM BORRICHIMUM, DANIELEM CLERICUM, JOANN. JAC. HARDERUM, E. G. HEYSELIMUM, HIAERNIUM, HOLLERUM, VAN HORNIUM, KÖNIGIUM, KOZEBRAM, LANGUELOTUM, LANZONIUM, MALPIGHIUM, MICHAELIUM, MONIERIUM, MORGAGNUM, NEEDHAMIUM, PECHLINUM, SCHELHAMMERUM, DE LA BOE SILVIUM, VALSALVAM WEDELIUMQUE nomino.

Inter eos qui de medicina forensi scripserunt, noster primus recenseri meretur, seque strenuum adenologiae Malpighianae defensorem, adversarium contra firmum subtilemque SILVII DE LA BOE probavit. *Actorum eruditorum* a prima eorum origine ann. MDCLXXXII. adjutor fuit. Praeter *Dissertat. de Zodiaco. Lips.*



MDCLXI. 4. et Dissertat. de lapide Ceraunio. Lips. MDCLXII. viginti sex edidit exercitationes physiologicas, annis MDCLXVIII. et MDCLXIX. conscriptas et postea uno volumine coactas: *De appetitu resp. J. A. Hermann.* — *De masticatione et deglutitione r. Ant. de Nepita, Catono-Neapolitano.* — *De chylicatione, r. E. Nitschke.* — *De chyli ab alvini faecibus secretione resp. Andr. Klaunig.* — *De chyli motu resp. J. Wolff.* — *De hepatis et lienis officio r. Chr. Hempel, Witteb.* — *De sanguificatione r. H. Warnatio.* — *De pulmonum et respirationis usu r. Wolff.* — *De circulatione sanguinis r. G. Schmidt.* — *De sanguine r. J. E. Oldenborch.* — *De sero et lymphâ r. J. A. Limprecht.* — *De nutritione r. G. Heintke.* — *De urinae secretione r. C. Oehmb.* — *De διαπνοῇ et sudatione r. Zacharia.* — *De spirituum animalium elaboratione r. C. Höltzel.* — *De sensatione in genere r. Schrader.* — *De visione r. G. zur Mühlen.* — *De auditu r. F. W. Clauder.* — *De olfactu r. E. Pfurd.* — *De gustu r. G. E. Meusel.* — *De tactu r. J. Pancovio.* — *De motu animali r. J. D. Gröllmann.* — *De somno et vigiliis r. C. Knauth.* — *De generatione r. A. Hoffmann.* — *De foetus oeconomia r. H. Han.* — *De partu r. G. S. Nitsche.* Alterum scriptorum volumen prodiit ann. MDCLXXXVI. 4.: secunda autem vice ann. MDCXCVI. 8. continetque quindecim dissertationes chemico-physicas. Reliqua scripta sunt: *Circulus anatomico-physiologicus, s. oeconomia corporis animalis h. e. cogitata functionum animalium potissimorum formalitatem et causas concernentia, Lips. MDCXCVII. 4. edit. altera. Edit. tertia Lips. MDCCIV. prodiit.* Hoc opus triginta continet programmata. — *De officio medici duplici, clinici nimirum ac forensis, h. e. qua ratione ille se gerere debeat penes infirmos pariter ac in foro, ut medici eruditi, prudentis ac ingenui nomen utrinque tueatur. Lips. MDCCIV. 4.* — *De renunciatione vulnerum, s. vulnerum lethalium examen, Lips. MDCLXXXVIII. 8. idem liber cum appendice de partu enecato et, an quis vivus mortuusve*



*aqua submersus, strangulatus aut vulneratus fuerit? Lips. MDCCXI. 4. prodiit. — Praeter jam commemorata scripta edidit etiam Opera philosophica et anatomica Hieron. Fabricii ab Aquapendente MDCLXXXVII. Fol. Ante obitum suum BOHNII ipse omnia fere sua manuscripta flammis absumi jussit, metuens, ne post mortem minus accurate elaborata in vulgus emitterentur. Ita rei litterariae opus de medicina forensi omnibus fere partibus absolutum ereptum est, et collectio responsorum facultatis medicae Lipsiensis quam inceperat.*

Quibus praemissis, ad ipsam accedamus rem, cujus causa haec scripta sunt. Indicenda nimirum sunt solennia inauguralia summorum in arte medica honorum Candidati egregii

## V I R I

PRAENOBILISSIMI ATQUE DOCTISSIMI

GEORGII CHRISTIANI GOTTHILF VOIGTII

BACCALAUREI MEDICINAE DIGNISSIMI

qui hanc vitae suae hucusque peractae tradit narrationem:

*Natus sum Schwanebeckii, principatus Halberstadiensis oppido X. ante Calend. April. ann. MDCCXCI. patre Joanne Adamo Voigt, Ludimagistro et praeceptore tertio, et matre Augusta Eleonora e gente Dizelia, quos quidem carissimos parentes adhuc superstites esse mihi gratulor.*

*Puerum pater docuit prima religionis ac latinae linguae elementa, cujus atque celeberrimi HESSE Scholae Schwanebeccensis Rectoris opera et studio factum est, ut scholam cathedralem, quae Halberstadii floret, adire possem anno III. hujus Saeculi, in qua institutione optimorum hujus scholae magistrorum usus sum, MAASSII, WOLDMANNI, MARKSH, FRANZII, EHLERSII, TOPPII, THIBEI et GARKEI. A quibus Viris clarissimis omnibus iis, quae cuique academiae candidato necessaria sunt, etiam recentioribus erudi-*



tus linguis, Lipsiam me contuli et medicinae studio operam navare coepi anno hujus saeculi VII. quo b. CAESAR tunc temporis Rector academiae Magnus me in civium Lipsiensis universitatis numerum recepit. Veneror autem praeceptores: PLATNERUM in philosophicis, physiologicis nec non in morbis oculorum, ROSENMÜLLERUM in anatomicis et theoreticis et practicis, LUDWIGIUM in anatomia pathologica, pathologia et medica politica. KÜHNIIUM de physiologia et historia medica litteraria disserentem audiui, et ESCHENBACHIUM in Chemicis et Pharmaceuticis, theoreticis et practicis. Anatomiam, pathologiam et therapiam CLARUS, artem obstetriciam JÖRGIUS, chirurgiam b. GEHLERUS, morbos psychicos tractandos HEINROTHUS me docuerunt. In physiologia BURDACHIUM, in materia medica HAASIUM, in botanicis atque universa historia naturali SCHWÆGRICHENUM, in physicis WEISSIUM, in mythologia CLODIUM, in historia universali WIELANDIUM magistros habui. Litteris latinis et graecis operam dedi in praelectionibus BECKII, SCHOTTII et WENCKII. Gallicae, Anglicaeque linguae praecepta me ex ore b. D'Applii nec non Kunzii percepisse laetor quam maxime.

Prae caeteris autem maximo cum fructu exercitationibus operam dedi practicis clinicis, chirurgicis atque obstetriciis in instituto regio clinico atque Trieriano sub auspiciis CLARI, ANDREAE, b. GEHLERI et JÖRGII. Quibus praeceptoribus omnibus gratias persolvo immortales.

Silentio vero non praeterire possum Viri Experientissimi Praeclarissimi-que SACHSII Medicinae Doctoris et apud Lipsienses Practici Celeberrimi in me merita haud exigua, cujus in arte medica exercenda consilio et exemplo uti mihi licuit, quod summo mihi honori et emolumento est.

Adjumento etiam mihi fuit per tres annos stipendium Quelmalzianum. Anno hujus saeculi XIII. Calend. April. tentatus per specimina legitima, ornamenta Baccalaurei consecutus sum. Deinde praelectionibus de vesicula chorii



*et amnii habitis, V. ante Idus Mart. a. h. s. XIV. examen, quod dicunt  
rigorosum subii.*

---

Quum autem in examinibus laudabilem atque promptam comprobasset doctrinam, a gratioso Medicorum Ordine veniam adeptus est d. XII. Januar. cathedram conscendendi atque dissertationem *de consensu uterum inter atque mammas*, cujus ipse auctor est, sub moderamine Excellentissimi Experientissimique LUDWIGII sine praeside publice defendendi. Quibus feliciter peractis ego pro data mihi clementissime pro-cancellarii auctoritate perficiam, quod debeo, daboque Candidato summos in medicina honores adsumendi licentiam, more solenni et consueto.

Quo major vero huic actui splendor concilietur RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICUM, CELSISSIMOS PRINCIPES, COMITES ILLUSTRISSIMOS, PROCERES UTRIUSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMOS ATQUE PRAE-NOBILISSIMOS HUMANISSIMOSQUE COMMILITONES omni qua par est humanitate rogamus, ut honorifica sua praesentia istam panegyrim ornare velint.

---







(4.)  
D E C A N I  
SENIORES ET RELIQVI ASSESSORES  
QVATVOR FACVLTATVM IN VNIVERSITATE  
STVDIORVM LIPSIENSI

---

MEMORIAM  
KREGELIO-STERNBACHIANAM

ORATIONE SOLEMNI

A. D. XVIII. IVLII cldccccxvi.

HORA IX

IN AVDITORIO IVRECONSVLTORVM

CELEBRANDAM INDICVNT.

*cunct.*  
*Jo. Chr. Rosenmüller.*

---

*De viris quibusdam qui in academia Lipsiensi Anatomes  
peritia inclaruerunt IV.*



D E C A N I

SENIORUM ET JUNIORUM ASSOCIATIONES  
ORATIONES FACULTATUM IN THEOLOGIA  
STUDIORUM LIBERTINIS

MEMORIAM

RECTORIO-STERNBERGIANAM

ORATIONES SOCIETATIS

AL. D. M. JUNIORUM ET SENIORUM

ROMA IN

IN A. D. 1700. THEOLOGIA

CETERARUM LIBERTINIS

THESE PUBLICE PROPOSITAE IN ACADEMIA THEOLOGICA  
ROMANA ANNO DOMINI 1700.



Inter primos qui liberalitate sua et humanitate eorum  
medicinae cultorum studium sublevare operam dederunt,  
qui inopia et paupertate pressi sunt, nominandus est MI-  
CHAELIS ETTMÜLLER, natus Lipsiae 1644. d. 26. Maii.  
Primo quidem mathesi se dedicavit, posthac vero maiorem  
operam chemiae impendit cuius amor singularis etiam in-  
tractandis aegrotis, quorum curam in se suscepit, praeva-  
luisse videtur. BOERHAVIUS enim (Method. stud. medic.  
pag. 626.) de nostro haec offert: „notum est in Silvianam  
„et chemicam sectam proniorem fuisse, acidum valde ac-  
„cusasse, hinc alcalinis plurimum usum esse etc.“ Anno  
1662 Lipsiae Magister creatus est et 1666 redux ab itinere  
quod per duos continuos annos in Italia, Gallia, Anglia,  
Belgioque fecerat summis in arte medica honoribus orna-  
tus, et anno 1676 in medicorum ordinem receptus est.  
Ann. 1681 vero munus Professoris botanices ordinarii et  
anatomiae et chirurgiae extraordinarii obtinuit. D. 9. Mar-  
tii 1683 phthisi obiit, quam laboribus chemicis contraxerat.  
Plures conscripsit dissertationes medicas: *De corpulentia  
nimia — De temulentia — De abstruso respirationis huma-  
nae negotio exulante famosa vacui fuga — De parvis*



*magnorum morborum initiis — De malo hypochondriaco — De medicis balneis artificialibus — De praecipitantium vero usu feroque abusu — De medicina Hippocratis chymica — De virtute opii diaphoretica — Cerebrum Orcae vulgari supposititia spermatis ceti larva develatum — De epilepsia — Valetudinarium infantile — De dolore hypochondriaco vulgo sed falso putato splenetico — De maculis et faculis solariibus — De coniunctionibus magnis — De singularibus — De tinctura coralliorum — De morsu viperæ — De chirurgia infusoria — Schröderi dilucidati Phytologia — Chymia rationalis, Leid. 1684. 4. — Pharmaceutico-Chymica opera. Lugd. Bat. 1686. 4. — Chirurgia medica, saepius recusa etiam gallice versa cum titulo: Nouvelle pratique de chirurgie médicale et raisonnée, Lyon 1690. 12. Amstelod. 1691. 12. — Medicus theoria et praxi generali instructus seu fundamenta medicinae vera. Francof. et Lips. 1685. 4. — Institutiones medicinae — Collegium practicum ad morbos corporis humani — Collectio operum prodiit Leidæ. 1685. 4. — tum alia cum praefatione FRANCI. Francof. ad Moen. 1688. 3 vol. fol. Porro Lugduni coniuncta opera prodierunt studio Petri CHAUVIN. 1690. 2 vol. fol. ibidemque Pratique de médecine speciale sur les maladies avec des dissertations du même auteur sur l'épilepsie etc. 1691. 12. Aliam editionem curavit WESTPHAL, Francof. 1696. fol., aliamque filius MICHAEL ERNESTUS ETTMÜLLER, Francof. 1708. fol. tribus voluminibus, quibus continentur: Institutiones et Collegium medico-chirurgicum: Collegium consultatorium: Collegium practicum:*



*casus et observationes — Eadem opera omnia et cum notis, consiliis et dissertationibus NICOLAI CYRILLI excusa sunt, Neapoli 1728. 5 voll. fol. De animadversionibus CYRILLI quaeritur in actis eruditorum filius MICH. ERNESTVS, cui respondet CYRILLVS in Biblioth. Ital. T. XVIII. Compendium operum prodiit. Amstelod. 1702. 8. Effigiem Ettmülleri sculpsit B. KILIAN. 1684. 8.*

MICHAELIS ERNESTVS ETTMÜLLERVS, antecedentis filius, natus erat Lipsiae d. 26. Augusti 1673, litteris operam dedit in academia Vitebergensi et Lipsiensi, in qua etiam magister creatus est. Itinere litterarum causa in Angliam, terram Batavorum et Germaniam absoluto, in urbe patria Doctoris medicinae gradum accepit ann. 1699. — Anno 1702 Professor medicinae extraordinarius sociusque academiae caesareae naturae curiosorum electus est, anno 1710 munus Professoris Anatomiae et Chirurgiae extraordinarii ei demandatum est, atque hoc ipso anno mens. Iul. in theatro anatomico lectiones publicas *de inventis anatomicis huius seculi* habuit. Fuit enim constitutum olim in hac nostra academia, ut Professori Anatomiae et Chirurgiae ordinario respectu muneris sui molesti parumque fructuosi, licuerit, inter dies caniculares scholas missas facere, professoris Anatomiae et Chirurgiae extraordinarii autem officium fuit, inter has ferias lectiones publicas habere. — Anno 1710 etiam in nosocomio Div. Iacobi medici ordinarii munus ipsi traditum est, eodemque anno locum in facultate medica, anno 1719 munus Professoris Physiologiae ordinarii, 1724 idem Pathologiae obtinuit atque in Collegium



Decemvirorum non solum, sed etiam Collegiatorum Collegii Principum maioris receptus est. Anno 1730 academiae naturae curiosorum Director electus est. Obiit ann. 1732 d. 25. Septembr. Duplex huius viri praestantissimi extat effigies, altera in forma octava a I. G. MENZELIO sculpta, altera in forma 4. cuius auctor non constat. ETTMÜLLERVS ingenio et eruditione excelluit quam maxime, quod scripta sua testantur. Edidit non solum patris opera cum adnotationibus locupletissimis, sed etiam plura elaboravit scripta, quorum argumenta sequuntur: *De crinonibus* (in act. *Eruditorum* 1682.) — *De circulatione sanguinis in foetu*. Lips. 1715. 4. — *De meningeis cerebri membranis*. Lips. 1721. 4. — *Monstrum Hungaricum*. Lips. 1707. 4. — *De exclusione secundinarum*. Lips. 1726. 4. — *De novo ovario epistola problematica ad Ruyschium*. 1714. 4. qua epistola demonstrat, ovula sic dicta NABOTHI ovula non esse. — *De tactu sensuum externorum moderatore*. Lips. 1695. 4. — *Corpus humanum sympatheticum*. Lips. 1701. 4. — *De scabie eiusque ortu ab impura lana*. Lips. 1731. 4. — *De ulcere intestini extus patente sanato*. Lips. 1730. 4. — *De vulnere diaphragmatis*. 1730. 4. — *De vulnere ventriculi*. 1730. 4. — *De praegrandi pedis inflammatione*. 1730. 4. — *De spasmo vesicae*. 1732. 4. — *De tormentis et poenis sustinendis*. 1711. 4. — *De effectibus musices in hominem*. Lips. 1714. 4. — *De lectione auctorum in medicina*. Lips. 1702. 4.

AVGVSTVS QVIRINVS RIVINVS (BACHMANN) nullo quidem anatomiam docendi munere in hac academia fungeba-



tur, quippe qui in studio botanices magis versaretur, immo novi systematis vegetabilium inventor, quod petalorum imprimis analogiam respiceret, sed studium eius ad plura etiam tetendit, quae medicinam ipsamque anatomiam spectant. Natus est Lipsiae 9. Decembr. a. 1652. Patrem habuit ANDREAM RIVINUM, tunc temporis Professorem poëseos, deinde Physiologiae, cuius merita de curandis correctioribus editionibus scriptorum medicorum veterum celebrantur. AUGUSTVS QVIRINVS RIVINVS praeceptores habuit MICHAELEM ETTMÜLLERUM, GODOFREDUM WELSCHIVM atque BOHNIVM. Quum Belgium proficisceretur et HELMSTADII, ubi primum tunc academiae Iuliae seculare celebrabatur versaretur, suadente celeberrimo CONRINGIO, in hac universitate summos petiit in arte medica honores, quorum adipiscendorum causa d. 15. Octobr. 1676 sub praesidio CONRINGII *Dissertationem de Diabete* defendit. Rediit nunc in urbem patriam atque d. 25. Sept. 1677 *de fermento ventriculi acido* publice disputavit, d. 9. Iul. 1688. autem locum in facultate medica Lipsiensi occupavit. D. 31. Mart. 1691. munus Professoris Physiologiae ordinarii ipsi demandatum, simulque d. 20. April. eiusdem anni horti medici administratio tradita est. D. 12. Febr. 1701 Professor Pathologiae ordinarius et facultatis senior, deinde Collegii maioris Principum Collegiatus, Decemvir atque d. 13. Decemb. 1719 Professor Therapiae ordinarius ac ordinis medicorum Decanus constitutus est. Vesicae et renum calculo vexatus d. 30. Dec. 1723 anno aetatis septuagesimo secundo accedente pleuritide obiit. Sacra eius memoria non solum eruditione ampla,



sed legatis etiam splendidissimis in commodum eorum viget, qui inopes ipsi et huius academiae cives litteris operam dant. Scripta extant eius sequentia: *Ad Iohannem Raium Epistola*. Lips. 1694. 4. — *Epistola de methodo botanica et I. Raii responsio*. Londini 1696. 8. — *Ordo plantarum quae sunt flore pentapetalo irregulari*. Lips. 1699. Fol. maj. — *Diss. de nutritione*. Lips. 1678. 4. — *Disp. de genuino usu lienis*. Lips. 1722. 4. — *De omento*. Lips. 1717. 4. — *De bile*. Lips. 1679. 4. — *Puella monstrosa*. Lips. 1717. 4. — *De sanguificatione*. Lips. 1678. 4. — *De visu*. Lips. 1686. 4. c. fig. — *An emittendo an recipiendo fiat visio*. Lips. 1675. — *De auditus vitiis*. Lips. 1717. 4. Descripsit hoc libello membranae tympani rimam quae sphinctere quodam parvulo claudi possit. Quamquam de foramine tympani varii scriptores egissent, etiam HILDANVS, SCHNEIDERVS *de osse temporum*, LINDANVS, MAPPVS, PLUMMERVS (*Journal de Trev.* 1703. augm.) aliique huius foraminis sive rimae, sive hiatus mentionem fecissent, ipsaque experimenta VALSALVAE, GLASERI, MANGETI (in *theatro anat.*) consentirent, tamen accuratius id foramen disertiusque adseruit RIVINVS. Posuit illud ad latus posterius fere summi manubrii, iconemque eius dedit. Sphinctere clausum esse dixit, et inventum a se ipso an. 1689. Plures anatomiae periti e. g. LEPROTVS (in *Bonon. Comment.*), H. A. NICOLAI, TEICHMEYERVS, CHESELDENIVS et I. L. RAV existentiam huius foraminis confirmabant, HALLERVS autem, MORGAGNIVS, PAVLI, VAN HORNE, WALTHER, CASSEBOHMIVS aliique nunquam illud



reperire potuerunt. — *Observationes circa poros in cute piscium* v. *Acta Eruditorum* de ann. 1687. — *Disp. de spiritu vitali*. Lips. 1688. — *Physiologicae theses*. Lips. 1690. 12. — *De peste*. Lips. 1680 et 1682. 8. et 1714. 8. — *Disp. de pruritu exanthematum ab acaribus*. Lips. 1722. — *Dissertationes medicae*. Lips. 1710. 4. — *Series Decanorum Lipsiensium*. Lips. 1719. 4. — *De terris medicinalibus*. Lips. 1723. 4. — *Manuductio ad chemiam pharmaceuticam*. Norimb. 1718. 8. — *De Astrologiae vanitate et abusu in medicina*. Lips. 1694. 4. — *Progr. Motorem externum animalium nullibi dari, adeoque nec unicam, nec sociam esse motus animalis causam*. Lips. 1694. 4. — *Progr. de Chirone Centauro a Patria Thessalo*. Lips. 1694. 4. — *De coloribus tanquam indicibus morborum non contemnendis, saepius infallibilibus*. Lips. 1695. 4. — *Qualem vim habeat fames in sanandis morbis*. Lips. 1696. 4. — *De utero olim accusato nefarie atque condemnato, hodie nimis defenso ac iniuste absoluto*. Lips. 1696. 4. — *De calore partis aucto, signo inflammationis certissimo*. Lips. 1696. 4. — *De sensorio communi*. Lips. 1697. 4. — *De aëre morborum causa*. Lips. 1698. 4. — *Progr. de originibus plurium morborum ex alimentorum vitio*. Lips. 1699. 4. — *Progr. quod animi passiones s. affectus plurimum conferant ad aegritudines omnis generis*. Lips. 1700. 4. — *Systema Mundi novum ad ann. Christ. 1701 sqq. aeri incisum*. Lips. 1701. Fol. reg. — *Progr. de somno et vigiliis*. Lips. 1709. 4. — *Progr. de motu et quiete*. Lips. 1717. 4. Bibliotheca RIVINIANA, sive catalogus librorum cum vita RIVINI ipsiusque effigie aeri



incisa a M. G. S. HERMANNO edita est Lips. 1727. 8. — 7968 libri splendidissimi et rariores tunc temporis auctionis lege, pretio 2562 thalerorum et 16 grossorum venditi sunt.

RIVINI tempore, eiusque sub Decanatu singularis accidit casus. Mense nimirum Martio 1720 demortua est mulier quaedam egena, cuius cadaver a suis sectioni anatomicae traditum est. Negotiabantur nimirum plures medicinae et chirurgiae cultores cum filio filiaque defunctae, ut, pretio nonnullorum thalerorum soluto, corpus sarcophago iam conditum, nocturno tempore eximeretur, locoque eius lapides sepelirentur, quibus arcam impleverant. Studiosus quidam corpus linteo obvolutum sub pallio asportaverat, atque Doctori medicinae tradidit, qui precibus studiosorum permotus sectionem instituit atque direxit. Quod quum postea in vulgus emanasset, non solum magistratus severissime hanc causam inquisivit, verum etiam oratores ecclesiastici e suggestis sacris vehementer in istud facinus invecti sunt. Rei autem fuga poenam vitarunt. Caeterum factum illud occasionem praebuit Dissertationem conscribendi, cui titulus est: *M. DANIEL FRIEDR. HOHEISEL respondente ABRAHAMO RIVINO. Specimen meditationis philosophicae de mercatura corporum humanorum, cuius apud Romanos mangonium species erat. Lips. d. 20. April. 1720. 4.*

Quatuor RIVINVS habuit uxores, quarum ultima CATHARINA ELISABETHA WINCKLERIA d. 28. Decembr. 1691. filium peperit IOANNEM AUGVSTVM, qui privata informatione ad



studia academica praeparatus a 1708. RECTORE Dr. IOANNE BURCHARDO MENCKENIO, in numerum civium academicorum relatus est. D. 11. Februar. 1712. Magister creatus, facultatem legendi sibi acquisivit dissertatione habita *de terra Australi*. 1716. d. 4. April. — D. 27. Sept. 1717. *de vitiis auditus* sub patris praesidio pro licentia disputavit, d. 28. Octobr. summis in arte medica honoribus ornatus, et d. 31. Maii 1724. in ordinem Medicorum receptus, postquam anno praecedente d. 1. Octobris *de terris medicinalibus* pro loco disputaverat. D. 10. Maii 1725. obiit. In historia naturali non solum in universum, sed etiam praecipue in re herbaria versatus fuit quam maxime.

Iam ad id perveniendum est, cuius causa haec scripta sunt. Celebranda nimirum est memoria Viri Illustris meritisque CAROLI FRIDERICI KREGELII DE STERNBACH; qui immortalem gloriam eo sibi paravit, quod haud exiguum opum suarum partem iis dicavit quatuor facultatum studiosis, qui ingenio morumque integritate prae caeteris excellerent, medicinae cultori autem per tres integros annos stipendium testamento ita destinavit, ut pecunia collecta impendatur ad iter instituendum in eos locos, quibus Candidatus maiorem rerum medicarum cognitionem sibi possit comparare, visendis institutis clinicis atque aliis quae artis medicae ediscendae causa condita sunt studiis.

Pio igitur gratoque animo voluntati testatoris obtemperandum etiam in eo est, quod die anniversario memoriae



defuncti sacro oratio sollemnis habeatur. Partes oratoris autem ex ordinis medicorum decreto demandatae sunt Medicinae Baccalaureo

**LVDOLPHO HERMANNO VNGERO,**

**BORNENSI,**

qui die XVIII. Iulii a. b. *de lucro in addiscenda medicina ex institutis clinicis redundante* aget.

Vt hanc sollemnitatem VOS, VIRI SVMME VENERANDI, ILLVSTRES, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMIQUE, PRINCIPES CELSISSIMI, COMITES ILLVSTRISISSIMI, VTRIVSQUE REIPVBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI, AC PRAENOBILISSIMI, velitis praesentia Vestra exoptatissima splendidiorum reddere, omni qua par est humanitate ac observantia iterum iterumque rogamus.



(5.)

JO. CHRIST. ROSENMUELLER

UNIVERSITATIS LITTERARIAE

LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIUS

P A N E G Y R I N M E D I C A M

A. D. TERTIO DECEMBR. MDCCCXVI

C E L E B R A N D A M

INDICIT.

---

DE VIRIS QUIBUSDAM, QUI IN ACADEMIA, LIPSIENSI ANATOMES  
PERITIA INCLARUERUNT.

V.







Viris de re anatomica in universitate Lipsiensi optime meritis, adnumerandus etiam est JOANNES GUILLIELMUS PAULI, natus Lipsiae d. 19. Febr. 1658. Patrem habuit GUILLIELMUM, civem et vinarium, qui nostrum disciplinae SOMMERI, Rectoris Ileburgensis, atque JOANNIS GEORGII FABRICII tradidit, cui postea Professoris munus TREMONIAE demandatum est. Anno 1675 PAULI, septemdecim annos natus, in numerum academiae Lipsiensis civium adscriptus, praelectiones philosophicas VALENTINI ALBERTI, JACOBI THOMASII, JAUCHIIQUE frequentavit. Postea VITEBERGAM se contulit ibique M. B. PASCHAE metaphysicas, M. CHR. FR. PORTSCHII, A. GERETI, M. ADRIANI PURPE et CHR. DONATI philologicas et physicas audivit lectiones. Artis anatomicae praeceptores habuit DR. JOANNEM STRAUCHIUM atque celeberrimum SCHNEIDERUM. Circa finem anni 1677. Lipsiam rediit, ubi scholae mathematicae PFAUTSCHII, anatomicae et chymicae Q. RIVINI, medicisque theoreticis et practicis WELSCHII, FRIESII, AMMANNI, BOHNII et MICHAELIS ETTMUELLERI operam dedit. Anno 1681, quum per GERMANIAE, TERRAE BATAVORUM, ANGLIAE, FRANCOGALLIAE, ITALIAE et HELVETIAE regiones iter instituisset, arctissimam literarum conjunctionem et communicationem cum WEDELIO, VOLKMARIO, SPONIO, TYSONIO, MORISONIO, MARCHETTIO, PIGHIO,



GRANDIO, MALPIGHIO, THOMASIO, CORNELLIO et BEL-  
LINO conciliavit. Linguas non earum solum terrarum, quas obiit,  
sed etiam orientis ita scivit, ut sacram scripturam auctorum lin-  
gua perlegeret. Anno 1676. d. 15. April. Baccalaureus Philosophiae;  
mense Februario anni 1678. Magister; ann. 1680. Medicinae Bac-  
calaureus; d. 19. Septembr. 1681. ejusdem Licentiatus; die 24. Nov.  
1681. autem Medicinae Doctor, et quidem absens, creatus est, dum  
interim inceptum iter perageret. Postquam anno 1691. die 25. April.  
cooptatus esset in facultatem medicam; anno 1703. die 2. Novembr.  
munus Professoris physiologiae ordin., d. 3. Septembr. 1706. idem ana-  
tomiae et chirurgiae, 1719. pathologiae simulque ordinis Medicorum Se-  
nioris ei delatum est. Anno 1720. die ultimo Januarii socius adscriptus  
est Collegiatis Collegii Principum majoris, et mense April. ejusdem anni  
Decemviri dignitate ornatus. Die 29. Maji anni 1725 typho acuto cor-  
reptus, die 13. mens. Julii ejusdem anni sexaginta quinque annos quin-  
decimque hebdomadas natus, vitam cum morte commutavit.

Magisterii jura quaesiverat anno 1629. disputando *de numero per-  
fecto*. — *Dissertatio ejus inauguralis d. 9. Septembr. 1681. inscripta*  
*est: De ictero: disputatio autem, quam anno 1685 pro loco in facultate*  
*medica obtinendo habuit: De oedematis natura et cura. Praeterea*  
*in lucem edidit: Programma anatomicum de poris partium solidarum*  
*v. g. vesicae et ventriculi etc. Lipsiae d. 10. Januar. 1716. — De vano*  
*experimento et praejudicio JACOBI VERCELLONI PEDE MONTANI,*  
*verum humorem digestivum duplicem evincere, omnemque non nisi ab*  
*extrinsecis oesophagi glandulis deducere allaborantis. Lips. d. 26. Sep-*  
*tembr. 1716. — De motus animalis organo. Lips. d. 21. Octbr. 1716.*  
*4. — De lusibus naturae in corpore humano. Lips. d. 22. Octbr. 1716.*  
*4. — De nutritione naturali et praeternaturali. Lips. 1709. 4. — De*



*siphonis anatomici usu*, Lipsiae 1721. 4. Hujus instrumenti ope vesicam urinariam in plures lamellas dividit: tunicam nerveam sive vasculosam in tres: tunicam muscularem in quatuor: oculi vero tunicam corneam in sedecim lamellas. — *De abstrusissima glandularum structura et differentia*. Lipsiae 1709. 4. — *Speculationes et observationes anatomicae*. Lips. 1722. 4. — VAN HORNE *opuscula anatomica et chirurgica*. Lips. 1707. Hanc editionem, cujus praefationem annotationibus suis locupletavit, auctiorem et emendatiorem prodire jussit, simulque THOMAE BARTHOLINI *historiam anatomicam aneurismatis dissecti* addidit. In describendis musculis, tres pollicis extensores, tresque ejusdem digiti flexores: musculos epiglottideos et alios plures assumit. — *De amputatione*. Lips. 1709. 4. — *De fibra motrice et dura matre*. Lips. 1717. 4. — *De peculiariter adnotatis in cadaveribus duobus virilibus anno 1715 et anno 1716. cultro anatomico subjectis*. Lips. d. 3. Septembr. 1722. 4. — *Acta etiam Eruditorum* sua ope edenda curavit.

Noster, dum inter vivos versaretur, nominis sui memoriam in theatro anatomico monimentis amplissimis consecravit, quippe quum illud variis libris non solum et apparatu anatomico, sed sceletis etiam permagni pretii donaret, eo majoris aestumando, quia ita praeparatum erat, ut ab omni corruptionis vi tutum judicaretur. De cunctis autem his donis, nihil adhuc reliquum est, imo ne exquisitissimi librorum, instrumentorum anatomicorum, chirurgicorum, mathematicorumque, apparatus, quem sibi comparaverat, indicia et vestigia ulla extant.

JOANNES FRIDERICUS ORTLOB, *Oelsa - Silesiacus*, natus est anno 1661. d. 2. mens. Augusti. Litteris operam dedit primum in gymnasio, quod VRATISLAVIAE floret, tum FRANCOFURTHI AD VIADRUM, denique LIPSIAE, ubi etiam Doc-



toris medicinae dignitate ornatus est. Posteaquam HOLLANDIAE, ANGLIAE et FRANCOGALLIAE instituta adiisset medica, in Lipsiam redux, archiater Regis Poloniae Electorisque Saxoniae, simulque Anatomiae et Chirurgiae Professor extraordinarius, tum Physiologiae ordinarius, facultatis medicae assessor, Collegii minoris Principum Collegiatus, Nationisque Polonicae Senior factus est. Obiit d. 12. Octobr. 1700.

Eorum, quae publici juris fecit, sequentia extant: *De analogia nutritionis plantarum et animalium*. Lips. 1683. 4. — *Exercitium anatomico-physiologicum, integrum Χοληπορεύσεως negotium examinans*. Lips. 1691. 4. — *Historia partium et oeconomiae corporis humani*. Lips. 1696. 4. — *Topaenanthès de Mose chemico*. Tilienroda (Lips.) 1718. 4. — *Historia partium corporis humani*. Lips. 1697. 4. Hoc opus constat triginta sex dissertationibus in unum collectis, in quibus, praeter cetera animadversione digna, est repraesentata species sinuum polymorphorum anteriorum occipitis et sinuum durae matris circa sellam equinam. Varia quoque experimenta enarravit facta, de hepatis et lienis usu. De hac re plura praefatus est in DANIEL TAURY *nova anatomia ratiociniis illustrata, latinitate donata a MELCH. GEUDERO*. Ulmae 1694. 8. in ea nimirum sententia est: hepar non posse sine lienis adjumento bilem secernere. Cujus rei argumento e cane vivo lienem exsecuit bilemque e vesicula fellea expressit. Animalia, quibus ad eam rem indagandam observandamque utebatur, siti inexplebili consumebantur, et quum eorum cadavera aliquot post mortem diebus aperirentur et inspicerentur, neque in intestinis, neque in vesicula fellea, ductibusque biliariis aliquid bilis, hepar ipsum autem a statu normali alienum animadvertebatur.



Jam vero commendandus est

VIR PRAECLARISSIMUS ATQUE DOCTISSIMUS

**F R I D E R I C U S    H A U G K**

MEDICINAE BACCALAUREUS DIGNISSIMUS.

qui de omni cursu suo vitae et industriae, in quo adhuc honeste et laudabiliter versatus est, ita ad me scripsit:

*Natus sum Zwiccaviae die XXIV. Septembr. ann. MDCCLXXXII. patre Christiano Theophilo,Inspectore vectigalium generalium, Consule urbis Zwiccaviae etc. matre Henrietta Friederica e gente Hempe-  
lia, quos quidem parentes carissimos Deus optimus maximus ad seram us-  
que aetatem superstites conservet.*

*Prima religionis, literarum et latinae linguae elementa patri debeo et Klinkhardto, deinde vero Heringio Correctori gymnasii Zwiccaviensis, quem puero mihi et adolescenti praeceptorem non solum fuisse, sed etiam ami-  
cum grata semper memoria recordabor. Hujus disciplina et institutione quum  
ita profecissem ut duodecimo aetatis anno in numerum Classicorum gymnasii  
recipi dignus judicaretur, per sex annorum spatium optimorum scholae hujus ma-  
gistrorum eruditione usus, Gorenzio, Hoffmanno aliisque, Lipsiam  
me contuli; hoc enim jam dudum in propositis fuerat medicinae studio  
operam navare. Anno MDCCCX Tittmannus tunc temporis Rector aca-  
demiae Magnificus in numerum studiosorum me retulit. Usus autem sum prae-  
ceptoribus summe venerandis: Platnero et Krugio in philosophicis, Ro-  
senmüllero in anatomicis theoreticis atque practicis, Kühnio in physiolo-  
gia, Ludwigio in therapia generali, Eschenbachio in chemia et pharma-  
cia, atque examinatoriis super iisdem doctrinis, Schwaegrichenio in bo-  
tanice, mineralogia et universa historia naturali, Gilberto in chemicis et  
physicis, Heinrothio in physiologia et pathologia generali, beat. Gehlero  
in chirurgia, Haasio in pathologia et therapia speciali, materia medica et  
morbis exarthematis, Joergio in rebus obstetriciis theoreticis et practicis,  
publice et privatissime, Wendlero de febre nervosa. Ceterum in historia  
Wielandium et in mythologia, Clodium habui magistros.*



*Accidit autem, ut tempore proelii Luetzensis Dresdae versarer, occasionem arripiens practice chirurgiam tractandi. Hoc consilio in nosocomiis Russorum et Franco Gallorum munere fungebar chirurgi militaris auspiciis Experientissimi et celeberrimi Raschigii summa pietate a me colendi, eodemque tempore numero civium collegii Dresdensis medico chirurgici adscriptus sum. Tempore proelii Budissensis exercitum secutus sum Saxonicum eodem munere chirurgi militaris, et cum nosocomio ambulanti additus essem factum est, ut in pluribus proeliis votorum meorum compos fierem. Exercitum postea munere chirurgi primarii in Galliam, Flandriam, etc. secutus, ibi non minus quam in nosocomio militari Marburgensi occasio mihi se obtulit, sub auspiciis amici et fautoris Exper. Schön aegros tractandi. Anno MDCCCXV. die vicesimo octavo mens. Februarii dimissionem impetratus Coloniae Agrippinae, viam hanc medicinae militaris propter continuanda et perficienda studia academia deserui. Lipsiam cum advenissem, superato examine theoretico, Baccalaurei honores sum adeptus mense Septembr. ejusd. anni. Deinde institutum clinicum sub auspiciis Clari, Wendleri et Kuhlii, et institutum obstetricium Trierianum duce Joergio frequentavi.*

*Hi viri, utinam semper in memoria nata mihi versentur, utinam praecepta eorum me apud omnes auxilium meum imploraturos comitentur, ut ejusmodi tirocinii non omnino indignus in posterum evadam.*

Huic narrationi nihil est quod addam praeter hoc, Candidatum clarissimum in examine rigoroso talem se praebuisse et ita respondisse ut honoribus prorsus dignus ab ordine nostro judicaretur, quorum capessendorum causa, die tertio Decembr. dissertationem suam de *fractura sterni et vertebrarum* sine praeside publice tuebitur.

Honesto hoc certamine peracto et finito, ei a me, ad hoc opus solenne faciendum clementissime constituto Procancellario, licentia tribuenda est summos Doctoris in medicina et chirurgia honores capiendi.

Quapropter Rectorem Academiae Magnificum, Celsissimos Principes, Comites Illustrissimos, Gravissimos utriusque reipublicae proceres, nec non generosissimos atque nobilissimos universitatis hujus literariae cives observantissimis humanissimisque precibus rogatos volo, ut hunc actum praesentia sua honorare haud graventur. P. P. Dom. I. Adventus MDCCCVI.



(6.)  
JO. CHRIST. ROSENMVLLER

UNIVERSITATIS LITTERARIAE LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIUS

PANEGYRIN MEDICAM

A. D. XXIV. JANVARIi MDCCCXVII

CELEBRANDAM

INDICIT.

---

DE VIRIS QUIBUSDAM, QVI IN ACADEMIA  
LIPSIENSI ANATOMES PERITIA INCLAU-  
RVERUNT VI.



CHRIST. ROY. M. D. C. C. L. I.

UNIVERSITY OF LONDON

M. T.

PROOFS

THE UNIVERSITY OF LONDON

THE UNIVERSITY OF LONDON

THE UNIVERSITY OF LONDON

THE UNIVERSITY OF LONDON

THE UNIVERSITY OF LONDON

THE UNIVERSITY OF LONDON

THE UNIVERSITY OF LONDON

THE UNIVERSITY OF LONDON

C  
a  
e  
g  
h  
s  
a  
n  
s  
q  
u  
a  
d  
s  
j  
t  
b  
1  
p  
m  
r  
m  
c  
d  
d



**C**ausa, quamobrem vitas virorum in Academia Lipsiensi artis anatomicae peritia clarorum enarrare pergo, potissimum haec est, quod persuasissimum mihi habeo, operis hujus inchoati continuationem et absolutionem ad varia in historia Medicinae literaria adhuc minus cognita illustranda accuratiusque definienda, haud inutilem fore.

Anatomicus is, de cujus vita, studiis, meritis jam sum expositurus luculento argumento esse potest, quantum efficere possit unus vir in condendis, stabilendis, tuendis institutis reipublicae salutaribus, si ad eam rem omnem cogitationem operamque suam studiose impendit. Hoc enim inprimis est ille, cujus contentione theatro nostro anatomico locus impetratus est.

JOHANNES CHRISTIANUS SCHAMBERG patriam habuit Lipsiam, qua in urbe natus est anno Christi 1667. die 21. Aprilis. Cum iis literis, quibus aetas puerilis informari solet, a praeceptoribus fidelissimis institutus, in Academia Lipsiensi Medicinae operam dedisset, Freybergam se contulit, ut ibi artem metalla explorandi disceret. Inde studii Medicinae continuandi causa in Academiam Altorpinam et Lugdunensem profectus, Lipsiam rediit ibique dignitatem doctoris medicinae anno 1689 consecutus est. Ab hoc



inde tempore Lipsiae inprimis obstetriciam artem exercuit. Postquam anno 1693 in numerum Assessorum facultatis medicae cooptatus esset, decreta ei est primum professio Chymiae extraordinaria, tunc Physiologiae, denique Anatomiae et Chirurgiae. Annos natus 40. praematura morte abreptus est anno 1706 die 4. Augusti, dum munere Rectoris Magnifici fungeretur, tertius eorum, quibus hoc accidit, ut in hoc dignitatis fastigio fato concedere cogerentur. Summo studio incensus in id elaboravit, ut theatrum anatomicum, quod nunc extat et ab eo anno 1704 inauguratum est, extrueretur. Speciosam rerum rariorum, instrumentorumque Physicis utilium collectionem fecerat et libros plures ad Pharmacia Chymiamque spectantes reliquit. Praeterea scripsit: *De gustu ex recent. Philosoph. hypothesi Lips.* 1689 4. *De arduo et difficili medicinae studio Lips.* 1699. 4. — *De laesa hominis loquela etc.* — *De respiratione laesa Lips.* 1693. 4. — Effigiem ejus excudit BERNIGEROTH fol.

POLYCARPUS THEOPHILUS SCHACHER natus est Lipsiae anno 1674. d. c. Januarii. Patrem habuit CHRISTOPHORUM HARTMANNUM SCHACHERUM Doctorem juris, cujus inter filios natu fuit minimus. In urbe patria liberalibus artibus discendis teneros annos impendit, aetate adultiori Medicinam complexus est ejusque cursum in Academia Lipsiensi ingressus. His studiis absolutis anno 1694. Medic. Baccalaureus: anno 1698 Philosophiae Magister et Medicinae Doctor publice renunciatus est. Haec posterior dignitas ei contigit absenti, cum in varias Germaniae, Hollandiae, Angliae Galliaeque regiones excurreret. Inde in patriam reversus anno 1701 munus Professoris extraordinarii Anatomiae et Chirurgiae suscepit. Ab hoc inde tempore ex uno honoris gradu in alterum



ascendens primum, et quidem anno 1706, professio Physiologiae ordinaria, deinde anno 1719 professio Anatomiae et Chirurgiae ordinaria, denique anno 1723 professio Pathologiae in eum delata, simulque in Collegium principum majus receptus est. Quum porro anno 1724 Decemvir et Facultatis Medicae Decanus factus esset et non solum bonis literis et rei anatomicae profuisset sed munera quoque academica bene administrasset, mors eum rebus humanis exemit anno Christi 1737 die 11. Martii. Scripta ab eo edita haec fere sunt: *De lumbricis renum maxime caninorum Lips. 1719. 4.* — *De sensibus internis, motu voluntario et propagatione hominis Lips. 1720. 4.* in quo libello anum artificialem describit, cujus causa fuerat ictus abdomini inflicto. — *De prolapsu uteri non fabuloso, sed a procidentia vaginae probe discernendo. Lips. 1721 4.* — *De vasorum biliarium existentia et distributione Lips. 1722 4.* — *De eruditorum morbis Lips. 1719. 4.* — *De lienis genuino usu. Lips. 1722. 4.* — *De adminiculis anatomicis. Leidae. 1706. 4.* — *Quomodo fiat ut fœtus absque putredine in utero maneat? Lips. 1717. 4.* — *De partu gemellorum disparis magnitudinis Lips. 1721 4.* — *De conceptione foetus humani abstrusa an absque membri genitalis insertionem femina concipere possit. Lips. 1728 4.* — *De pilis in ovariiis muliebribus Lips. 1635 4.* — *De cataracta. Lipsiae. 1701. 4.* in quo scripto, teste HALLERO \*) primus ganglii ophthalmici mentionem fecit. — *An anima rationalis sit corporis vitale principium. Lips.*

---

\*) HERRMANNI BOERHAAVE 'methodus studii medici, emaculata et accessionibus locupletata ab A. HALLERO Amstelædami 1751 4. pag. 462.



1715 4. *Diss. de consideratione animae rationalis medica.* Lips. 1720 4. — *De anatomia praestantissimo totius medicinae fundamento* Lips. 1705 4. — *De anatomia et physiologia in genere* Lips. 1715. 4. — *De partibus corporis humani externis et internis.* Lips. 1715 4. — *De anatomica praecipuarum partium corporis administratione,* Lips. 1710 4. Praeter varia praecepta, quae docent, quomodo massae ad injicenda vasa componi et injectiones ipsae fieri debeant, ratio ibi quoque proponitur quaedam et depingitur, qua tenerrimi vasorum rami impleri possint, si praeparata appendantur in loco aëre vacuato. — *De placentae uterinae morbis.* Lips. 1709. 4. *De taenia.* 1717. 4. — *De polypis.* Lips. 1721. 4. — *De flatuum in corpore genitorum magna cum aëre cognatione.* Lips. 1723. 4. — *De ossificatione praeternaturali.* Lips. 1725. 4. — *De febre acuta exanthematica aegrum quinquies serie non interrupta invadente.* Lips. 1723 4. — *Anatome virginis asciticae.* Lips. 1725. 4. —  *Sectio juvenis phthisici.* Lips. 1730 4. — *De melancholia hysterica* Lips. 1732. 4. — *De aegro ex lue venerea in cephalalgiam chronicam delapso.* Lips. 1732. 4. — *De labiis leporinis.* Lips. 1704. 4. — *De fistula spiritali et bronchotomia* Lips. 1707. 4. — *De depressione maxima cranii innocua.* Lips. 1720 4. — *De morbis a mutato situ intestinorum praeternaturali.* Lips. 1721. 4. — *De fonticulo.* Lips. 1722 4. — *De infante propter neglectam ex utero matris mortuae excisionem, in primo aetatis flore extincto.* Lips. 1731. 4. — *De epiplocele* Lips. 1734. 4. — *De recto usu rationis et experientiae in praxi clinico florensi* Lips. 1736 4. — *De thermarum Carolinarum usu in arthritide.* Lips. 1709. 4. — *De thermarum Carolinarum usu*



*in renum et vesicae calculo. Lips. 1711. 4. — De thermarum Carolinarum usu in praecipuis ventriculi et intestinorum morbis. Lips. 1716. 4. — De hominis loquela Lips. 1696. 4. —* Hujus quoque viri effigies exstat a Bernigeroth excussa. Filium habuit POLYCARPUM FRIDERICUM qui patris exemplum secutus, non solum Medicinae operam dedit, sed in hac disciplina ita etiam excelluit, ut eruditionis suae specimina daret scriptis in lucem emissis fere his: *De feminis ex arte medica claris. Lips. 1738 4. — De honoribus medicorum apud veteres Lips. 1738 4. — De lacte virorum ac virginum num illud nutriendo infanti sufficiat. Lips. 1742. 4. — De nutritione recens natorum sine usu lactis matrum ac nutricum. Lips. 1742. 4. —*

LEONHARDUS HENRICUS MYLIUS natus Lipsiae, patrem habuit H. MYLIUM Ict. Assessorem Collegii ad dijudicandas appellationes constituti. Hic tanta fuit ingenii capacitate et acumine, ut quaestiones difficillimas et perplexissimas mira quadam facilitate dissolvere, summaque perspicuitate explicare aliis posset. Anno 1715 die 1. Junii. Baccalaureus Philosophiae, anno 1716 die 24. Februarii Magister, eodemque anno Baccalaureus Medicinae renuntiatus est. Tum anno 1717, posteaquam die 22. October Licentiatus factus esset, die 28. ejusdem anni quum in Aede Paulina promotiones solennes fierent, dignitate Medicinae Doctoris est ornatus. Quae ipsa res ei ansam praebuit orationuculas quasdam extemporaneas habendi. Anno 1717 die 5. Martii dissertationem s se scriptam *de Lcge naturali* publice defendit et habendarum in Academia Lipsiensi praelectionum licentiam nactus est. In titulo hujus libelli expressit literis, quibus no-



men suum constat, aeram, propterea notabilem, quia forte accidit, ut is annus simul, annus Lutheranorum Jubilaeus esset, hoc modo: LeonhardVs HenrICVs MyLIVs. Dissertationis ejus inauguralis: *de puella monstrosa*, jam supra inter scripta A. Q. RIVINI mentio facta est, cujus sub praesidio eam defendit. Ab hoc inde tempore magna assiduitate privatim docuit simulque in Auditorio medico palaestram disputandi exercitio destinatam aperuit, ad quam ORTLOBII historiam partium et oeconom. homin. proposuit et medicinae studiosos per programma *de cognitione sui physiologica, medicae artis principio Lips. d. 8. Jan. 1719 4.*, invitavit. Harum exercitationum continuationem annuntiandi causa scripsit porro: *De calculis praeter naturam in homine natis Lips. d. 5. Mai 1720 4.* — in iisque moderandis usus est libro Dr. G. Ph. NENTERI qui inscribitur, *Theoria hominis sani* Strassb. 1714 4.

Inprimis Anatomiae multum operae et industriae impendit et quo certius finem sibi in hoc studio propositum assequeretur maximos sumtus fecit copiam sibi sceletorum, praeparatorum anatomicorum rerumque naturae rariorum acquisiverat haud contemnendam eamque in Catalogo singulatim edito virorum doctorum oculis exposuit. Strenuum item se POLYCARPO illi THEOPHILO SCHACHERO sectiones facienti socium adiutoremque praebuit magnumque saepe ab illo dexteritatis ad opera anatomica laudem promeruit. Decessit d. 4. Febr. 1721. ejusque imago praefixa est orationi in honorem defuncti habitae et in lucem emissae a. D. JOH. HENR. KONHARDE jun., quae exponit: *De vicissitudine boni et mali.*



MARTINUS NABOTH, natus d. 16. Januarii anni 1675. *Calae* in Lusatia inferiori, a puero ad virtutem et bonas literas incubuit easque in Ludotriviali feliciter combibit. Inde Lipsiam concessit, ubi Magisterii titulo ornatus est anno 1701. Tum ad doctoris medicinae gradum prensandum se paravit eumque in Academica, quae *Halae Saxonum* floret, consecutus est. Inauguralis dissertatio ad hunc honorem capessendum ab eo conscripta sub hoc titulo in lucem prodiit: *De auditu difficili*. Anno 1707 suscepit munus professoris chymiae extraordinarii in Academia Lipsiensi, cum quo praxin medicam conjunxit. Circumspectione et diligentia, quam in curandis aegrotorum morbis adhibere solebat, tantam sibi hominum fidem fecerat, tantasque sibi opes conciliarat, ut, cum eximeretur rebus humanis, plures fundos et pecunias in foenus locatas relinqueret. Hanc rem familiarem auxerat facultatibus viduae Medici et Chymici beati Dr. WIRTHII, quam in matrimonium duxerat.

Levi, ut videbatur valetudinis incommodo affectus, tam ex improvise morte abreptus est, ut ne testamenti quidem faciendi locus ei relinqueretur. Haeredes in coemeterio aedis Paulinae monumentum ei posuerunt, hac inscriptione:

OSSA  
HIC REPOSITA SVNT  
VIRI  
NUNC IN COELIS BEATI  
MARTINI NABOTHI  
PHILOS. ET MEDICINAE DOCT.  
CHYM. PROF. EXTRAORD.  
ANATOMICI DEXTERRIMI  
QVI  
PIETATIS VIRTVTVM MORVM CANDORE  
DOCTRINAE INDVSTRIAE LAVDE



DEVM RELIGIOSE COLENDO  
 EGENTI OPIS PROMPTAM FERENDO  
 CLARVS FVIT  
 NATVS XVI. JAN. MDCLXXV  
 DENATVS XXIII. MAI. MDCCXXI  
 POSTQVAM  
 AEGRIS VIVUS MEDENDO  
 VIVERE DESIIT  
 MONVMENTVM HOC  
 F. F.  
 EX PIETATE ET AMORE  
 FRATRES JOANNES ET JVSTVS HENR.  
 ET SOROR SOPHIA  
 LVGENTES.

Praeter dissertationem supra laudatam notandus est liber ejus *de organo auditus Lips. 1703 4. et de sterilitate mulierum Lips. 1704. 4.* Hoc posteriori scripto egregii Anatomici famam consecutus est, quia in eo vesiculas descripsit, quae frequentes in collo uteri mulierum reperiuntur. Has vesiculas putabat esse ovula, unde factum est, ut *ovulorum Nabothi* nomen acciperent. In eandem sententiam transierunt praeter celeberrimum FRIDERICUM HOFMANNUM, H. HENRICUM \*), aliosque, Anatomici Gallici. Sed veram harum vesicularum naturam postea ETTMUELLERUS \*\*) RUYSCHIUS, GOEDICKE \*\*\*), BOETTCHERUS \*\*\*\*) et alii indagarunt et explicarunt.

CHRISTIANUS MICHAEL ADOLPHI die 14. Aug.

---

\*) De vesiculis seminalibus mulierum Hal. 1712 4.

\*\*) De novo ovario epistola Lips. 1714 4.

\*\*\*) Partum octimestrem vitalem et legitimum esse Hall. 1708 4.

\*\*\*\*) Foetum non ante conceptionem in ovulo praexistente Lips. 1708. 4.



1676 natus *Hirschbergæ* oppido *Silesiæ*, primum ad *Lipsiensem* deinde ad *Hallensem* Academiam sese contulit. Ibi cum in disciplinis Medicis magna cum diligentia, nec sine industria versatus esset, patria relicta, *Lutetiam Parisiorum* abiit maxime eo consilio, ut arti chirurgicæ operam daret. Illinc discedens profectionemque suam inchoatam continuans per *Angliæ* et *Belgii* regiones iter adornavit et *Ultrajecti* nonnihil commoratus, dignitatem Doctoris Medicinæ capessivit. Posteaquam autem *Belgio* valedixisset et per unius anni spatium *Halæ Saxonum* versatus esset, denique *Lipsiam* se contulit, ubi Senior Facultatis Medicæ et Collegii b. Mariæ Virginis, socius Academiae naturæ curiosorum Cæsareæ et archiater Principis Cizensis factus, anno 1753 die 13. Octobris defunctus est. Praeter plura scripta, solam praxin spectantia, in lucem emisit: *De spina ventosa Hal.* 1705 4. — *De colo intestino multorum morborum nido, eoque proximo praeservationis subjecto. Lips.* 1718 4. — *De motu ventriculi et intestinorum peristaltico Lips.* 1720 4. — *De tunica intestinorum villosa plurimorum morborum loco. Lips.* 1721. 4. — Hi tres posteriores libelli conjunctim editi sunt sub hoc titulo: *Trias dissertationum medicarum, tum physiologico anatomicarum tum pathologico therapeuticarum. Lips.* 1728 4. — *De motu ventriculi peristaltico Lips.* 1729 4.

---



Jam vero id ipsum adgrediamur, cujus causa  
haec praefati sumus. Nimirum commendandus est

VIR

CLARISSIMUS ATQUE AMPLISSIMUS  
HENRICUS THEOPHILUS LUDOVICUS  
REICHENBACH, LIPSIENSIS,  
PHILOS. DOCT. AA. LL. MAG. MEDIC.  
BACCALAUREUS DIGNISSIMUS

qui a teneris singulari discendi ardore flagrans,  
cum omnibus artibus, quae ad humanitatem perti-  
nent, tum inprimis non obscuro naturae ductu dis-  
ciplinis medicis operam dedit, in quibus tantum  
profecit, ut jam summos in Medicina honores pe-  
tere possit. Sed quae ipse de rebus suis et ratio-  
ne, qua hactenus cursum studiorum direxit, nobis  
exposuit, subjungamus eumque ipsum audiamus.

Natus sum Lipsiae die VIII. Jan. Anno  
MDCCXCIII. patre JOHANNE FRIDERICO JACOBO REI-  
CHENBACH AA. M. Scholae Thomanae tum Collegae  
V., nunc Conrectore, matre autem quam proh do-  
lor! mors mihi ante triennium grassante dira ista  
epidemia nervosa eripuit, JOHANNA FRIDERICA ex  
gente BARTHELIA. A pueritia patris semper a mea  
summa pietate observandi et diligendi, atque viri  
plurimum reverendi DAMMII, qui nunc doctoris  
religionis apud *Wichenses* in *Thuringia* provinciam  
gerit, institutione praeparatus, inde ab anno aeta-  
tatis decimo Scholam Thomanam frequentavi lec-  
tionibusque WEIGELII, FRIEDELII, patris atque  
ROSTII interfui. nec non TAUBERUM et b. WEC-  
KIIUM in mathematicis audiui, quorum praecepto-  
rum optimorum in me merita immortalis memoriae  
retinebo.



Postquam Scholae, habita pro more oratiuncula, valedixissem, X. Maj. anno MDCCCX a summe venerando TITTMANNO id temporis Rectore Academiae Magnifico in numerum civium universitatis *Lipsiensis* receptus sum. Quum ab ineunte aetate naturae quadam inclinatione geniique impulsu me ad Medicinae studium applicuissem, cursum academicum hac ratione institui, ut in logicis, metaphysicis, aestheticis atque anthropologicis PLATNERUM, in physicis WEISSIUM, in chemicis ESCHENBACHIUM, in zoologicis, botanicis, atque mineralogicis SCHWAEGRICHENIUM, in historia naturali speciatim hominis LUDWIGIUM, in anatomia ROSENMUELLERUM, in zootomia ANDRÉEUM, b. GEHLERUM et CARUM, in physiologicis PLATNERUM, KUEHNIIUM, HEINROTHUM, in pathologicis LUDWIGIUM, HAASIUM in iisdem et medicina psychica HEINROTHUM audirem.

Examinatoriis interfui anatomico ROSENMUELLERI, physiologico PLATNERI et pathologico HEINROTHI. Examine pro Baccalaureatu theoretico d. XI. Mart. anno h. S. XII. feliciter superato, reliquum iter studiorum conficere pergens, materiam medicam accepi a HAASIO, pharmaciam ab ESCHENBACHIO, therapiam a LUDWIGIO generalem, a CLARO et HAASIO specialem, morbos oculorum a PLATNERO, morbos chronicos abdominales a. b. BRAUNIO, chirurgiam, a. b. GEHLERO, artem obstetriciam a JOERGIO, medicinam forensem a PLATNERO, politiam medicam a LUDWIGIO. Scholae clinicae Regiae interfui duce CLARO, et in rebus chirurgicis b. GEHLERO et KUHLIO.

Singulorum horum celeberrimorum virorum magna sane de me extant merita, quibus ne indig-



nus reperiar, omnes semper et animi et mentis vires intendam.

Studia mea stipendio a STIEGLITZIO, Viro Illustri et Amplissimo, Senatus Lipsiensis Aedili et Scholae Thomanae Curatore in me benevole collato magnopere sublevata sunt. Anno h. S. XII. TSCHIRNERI nec non b. ROSENMUELLERI Virorum summe Venerandorum auctoritate etiam Riviniano stipendio frui mihi contigit. Caeterum non possum non grato pioque animo laudare singularem quandam liberalitatem et benignitatem qua PLATNERUS et LUDWIGIUS Viri summi, me semper amplexi sunt, quorum alter et Schubartianum stipendium in me contulit, alter Linneanae societatis sodalem benigne me elegit et Misnico stipendio ad summos in Philosophia honores adipiscendos ornavit.

Faustissimum, quod studiis meis absolutis mihi contingere potuit, est Viri Experientissimi atque Praeclarissimi KLUGII benignitas qui ante quatuor fere annos me socium sibi in aegrotis visendis adiunxit, et mihi hucusque largam augendae scientiae copiam et insignis suae erga me benevolentiae innumera praebuit documenta.

Inprimis vero WEBERI Viri Illustrissimi et Amplissimi Regis Saxoniae a consiliis et Consistorii sui primi Assessoris benignitas erga me summa iustitia laudibus celebranda, eique maximae gratiae agendae sunt. Hujus enim Viri auctoritate potissimum factum est, ut regio stipendio ornatus, ad summos in medicina honores adspirare possim.

Postquam Philosophiae Doctor bonarumque artium Magister, post tentamina consueta, publice renunciatus essem, mense Martii ann. h. S. XV. Anni praeteriti die Aprilis XX. rigorosum medicum superavi, quod pro licentia vocatur, examen; et



die I. Junii Amplissimi Philosophorum Ordinis auctoritate, dissertationem defendi, entomologicam, cui generis *Pselaphorum* inest monographia.

Ex iis, quae Candidatus Clarissimus hactenus retulit, sponte apparet, eum animo, labore, omnibus viribus ad eam laudem gloriamque contendisse, quae verae doctrinae atque egregiae debetur, neque dubium est, quin finem sibi propositum assecuturus sit. Vt eum igitur voti sui compotem faciamus, diem XXIV. Januarii constituimus, quo dissertationem a se conscriptam, cui titulus est: *Florae Lipsiensis Pharmaceuticae specimen*, publice defendat, simulque doctrinae suae nova specimina dandi facultatem nanciscatur. Tum ego ex munere Pro-cancellarii clementissime in me delato, honorem Medicinae et Chirurgiae Doctoris, ab eo petitum, solenniter in eum conferam, eumque inaugurabo.

Vos autem, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, CELSISSIMI PRINCIPES, COMITES ILLUSTRISSIMI, GRAVISSIMI UTRIUSQUE REIPUBLICAE PROCERES, NEC NON GENEROSISSIMI ATQUE NOBILISSIMI UNIVERSITATIS HUIUS LITERARIAE CIVES, ut huius operis solennis dignitatem et splendorem frequentia Vestra augere et ornare velitis, humanissimis precibus peto, promittens et prope confirmans non solum Candidatum clarissimum meque ipsum, sed universum etiam Ordinem meum, hoc benevolentiae Vestrae documentum gratissimo, animo esse agniturum.

---



The first thing I noticed when I stepped  
 out of the car was the smell of the  
 sea. It was a fresh, salty smell that  
 I had never before. I had been told  
 that the air in the south was different,  
 but I didn't realize how different it  
 would be. The sun was shining  
 brightly, and the water was a deep  
 blue. I had heard that the water was  
 clear, but I didn't know how clear it  
 would be. I had also heard that the  
 people were friendly, but I didn't know  
 how friendly they would be. I had  
 heard that the food was good, but I  
 didn't know how good it would be.  
 I had heard that the weather was  
 perfect, but I didn't know how perfect  
 it would be. I had heard that the  
 people were nice, but I didn't know  
 how nice they would be. I had heard  
 that the scenery was beautiful, but I  
 didn't know how beautiful it would be.  
 I had heard that the people were  
 happy, but I didn't know how happy  
 they would be. I had heard that the  
 life was good, but I didn't know how  
 good it would be. I had heard that  
 the people were kind, but I didn't know  
 how kind they would be. I had heard  
 that the people were generous, but I  
 didn't know how generous they would  
 be. I had heard that the people were  
 honest, but I didn't know how honest  
 they would be. I had heard that the  
 people were brave, but I didn't know  
 how brave they would be. I had heard  
 that the people were strong, but I didn't  
 know how strong they would be. I had  
 heard that the people were wise, but I  
 didn't know how wise they would be.  
 I had heard that the people were  
 good, but I didn't know how good they  
 would be. I had heard that the people  
 were great, but I didn't know how great  
 they would be. I had heard that the  
 people were perfect, but I didn't know  
 how perfect they would be. I had heard  
 that the people were everything, but I  
 didn't know how everything they would  
 be.



(7.)  
IO. CHRIST. ROSENMUELLER

UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

H. T.

P R O C A N C E L L A R I U S

PANEGYRIN MEDICAM

A. D. V. SEPTEMBR. MDCCCXVII.

CELEBRANDAM

INDICIT.

---

DE VIRIS QUIBUSDAM, QUI IN ACADEMIA LIPSIENSI ANATOMES  
PERITIA INCLARUERUNT. VII.



IO. CHRIST. ROSENMUELLER

UNIVERSITATIS EISENACH

PROF. C. A. N. C. E. L. A. R. I. U. S.

PANEGYRICI MEDICAM

A. D. V. SEPTEMBER. MDCCLXXVII.

CELEBRANDAM

DE PUBL. QUINQUEM. C. E. IN NOBILISS. ACADEMIA. EISENACH. A. T. O. N. E.  
P. R. I. N. T. I. S. T. H. E. C. K. E. N. D. U. M. 1777.



In continuanda serie Professorum Anatomes studii Lipsiensis haud omittendus est ANDREAS PETERMANNUS D. VII. Martii ann. MDCXLIX. *Werblini* natus, patre ANDREA apud *Werblinenses* tunc temporis Pastore, postea vero Diacono *Delitschiensi*. Primis litterarum elementis in Gymnasio *Hallensi* imbutus, in Academia *Lipsiensi* non solum studio medico, sed etiam disciplinis humanioribus et Theologiae operam dedit. Indefesso nimirum studio scripta sacra, libros symbolicos systemataque Theologorum perlegit. Neque Philosophorum scripta neglexit, *Cartesianae* praecipue scholae addictus. Scripsit enim: *Tractatum de principiis cognitionis humanae; Philosophiae cartesianae adversus censuram PETR. DAN. HUETII vindicationem*, in qua pleraque intricatiora CARTESII loca clare explanantur a D. A. P. L. (i. e. Doctor ANDREAS PETERMANNUS *Lipsiensis*) Artem medicam primum *Geraviae* per aliquot annos exercuit. Quum anno MDCLXXIII *Altorfi* Doctor Medicinae et Chirurgiae creatus, *Torgaviam* se contulisset ibique arte sua se commendasset, postea vero Physici sive Medici publici munere apud *Torgavienses*, *Delitschienses*, *Zoerbigienses* et *Bitterfeldenses* fungeretur, anno MDCLXXX grassante peste ipse hoc morbo perniciosissimo affectus est, quem non solum feliciter superavit, sed etiam in eo me-



dendo tantam sibi acquisivit famam, ut a *Senatu Lipsiensi*, cujus prudentia et circumspectione omni tempore et aevo viri doctrina insignes multas magnasque utilitates universitati quoque praebentes invitati sunt, *Lipsiam* vocaretur, ut etiam in hac nostra urbe contagii atrocissimi vim experientia sua et scientia coërceret. Qua occasione oblata PETERMANNUS *Lipsiam* sibi domicilium elegit et *Claram Boetneriam* in matrimonium duxit, cum qua octo liberos progenuit, quinque nimirum filios et tres filias. Filiorum unus, filiarum autem duae in primis aetatis annis praematura morte obierunt. Major natus inter filios superstites AUGUSTUS GODOFREDUS Medicinae Doctor propter eximiam artis medicae peritiam, quam variis itineribus faciundis sibi acquisiverat, vocatus est in *Poloniam*, ut munere Chirurghi militaris primarii fungeretur. In hoc munere talem se praebuit, ut ad honorem *Archiatri Regis Polonici* designatus esset, nisi improvisa mors intercessisset.

Filius alter nostri erat CHRISTIANUS ANDREAS idemque Medicus peritia clarus, qui, cum *Rostochii* multa artis documenta dedisset, humanis rebus ereptus est.

Tertius Filius LUDOVICUS MAURITIUS studium juridicum sibi elegerat.

Quartus BENJAMINUS BENEDICTUS PETERMANNUS vestigia patris fratrumque pressit; de quo infra plura dicentur.

Noster PETERMANNUS etiam in arte obstetricia exercenda dexteritatis et scientiae laudes sibi comparavit haud vulgares. Quantam vero cum de peritia anatomica tum de ingenio hujus



viri habuerint ejus coevi opinionem testatur *Menckenius*, qui his verbis de eo loquitur \*): „Quid porro ANDREAM PETER-MANNUM memorem? cujus in cadaverum sectione dexteritatem „singularem, in ratiociniis formandis subtilitatem, miramque ad „conficiendum adversarium ingenii celeritatem saepius mirati „sumus“. Ad artem anatomicam docendo et demonstrando exercendam occasio ei oblata est, quum anno MDCLXXXVIII, quo *Lipsiam* venerat, munus Professoris Anatomiae et Chirurgiae extraordinarii: anno MDCLXXXIX autem Anat. et Chirurg. Ordinarii ei demandaretur. Qua in provincia administranda ita se gessit, ut Academiae ornamento, studiosisque artis anatomicae magno praesidio esset. Sed in medio honorum cursu non tam aetate, quam tristi morbo impeditus est. Nam per continuum annum vehementissimis doloribus extremitatum inferiorum vexatus, tandem, hoc malo, cujus vera conditio non explicata est, oppressus, d. III. April. ann. MDCCIII animam exspiravit.

Scripta ejus, quae extant et quorum nonnulla post obitum a filio sunt edita, haec fere sunt: *Manuductio ad praxin cum observationibus medicis*, Lips. 1706. 8. recus. 1750. 8. — *Decas I. casuum medico-legalium*, Lips. 1708. 8. — *De enterocele*, Lips. 1696. 4. — *De ictero ex calculis vesicae felleae*, Lips. 1699. 4. — *Bedenken vom Saamenflusse und Chr. Fr. Pinkers vom Blutflusse*, Dresd. 1701. 8. — *De visu*, Lips. 1690. 4. —

F 2

\*) Dr. Io. BURCHARDI MENCKENII, S. Reg. Maj. Polon. Consilarii etc. Oratio secularis de viris eruditis, qui Lipsiam scriptis atque doctrina illustrem reddiderunt etc. Lips. MDCCX. 4to.



*De respiratione. — De influxu stellarum in sublunaria. — De tarantulis Persarum. — De variolis. — De nutritione integra servanda abolitaque reparanda. — De peste. — De incubo seu ephialte. — De pleuritide. — De medicamentis alvum laxantibus. — In librum cui titulus est: Justina Siegmundin nata Dieterich Brandenburgische Wehmutter, Coloniae ad Spream, 1690. 8. Berolini 1725. 4. belgice vertente C. VAN SOLINGEN 1691. 4. scripsit: Gründliche Deduction vieler Handgriffe der Churbrandenburgischen Wehmutter, die auf vergeblicher Speculation beruhen. Leipzig, 1692. 4. — Ad PETERMANNI monita satis acriter respondit van Solingen in: Nöthiger Bericht wieder ANDR. PETERMANN und Sendschreiben an A. P. wegen eines Corollarii seiner Disputation de gonorrhoea, Cölln an der Spree, 1692. 4. rec. in editione Berolinensi. — Joecherus mentionem etiam facit manuscripti Petermanniani, quod inscribitur: Annotationes in Pauli Barbette chirurgiam et chymiam, e bibliotheca beati Dr. Joannis Christiani Lehmanni medici quondam Lipsiensis. Effigies PETERMANNI aeri incisa sine nomine chalcographi extat forma octava.*

BENIAMINUS BENEDICTUS PETERMANNUS, ANDREAE filius minimus natus, anno MDCLXXX Lipsiae natus ibidemque anno MDCCXXIV d. XVII. April. mortuus est, magnam relinquens sui famam, eximia artis medicae et obstetriciae peritia partam. Summos in medicina honores consecutus Doctorque renunciatus est *Halae* anno MDCCIII. Anno MDCCVIII d. XIV Januarii Praefecturae Lipsiensis Physicus factus est, quo vero munere anno



MDCCLXIX sese abdicavit atque d. VII. Mart. ejusdem anni urbis Lipsiensis Physicus factus est. Primus eorum fuit, quibus a. Senatu Lipsiensi salarium annuum ea conditione offeretur, ut artem obstetriciam exercerent et colerent, quum anno MDCCLXV medicus obstetricius urbis Lipsiensis constitueretur. Matrimonio conjunctus fuit cum *Sabina Elisabetha Felleria* quae duos filios tresque filias ipsi dederat. Scripta ejus haec fere extant: *Observationum medicarum Decad. I. II. et III. Lips.* MDCCLVII. 4. quae multarum sectionum pathologicarum descriptionem continent et: *De anatomia publica, Halae,* MDCCIII. 4. in quo libello plura exponuntur, quae ad historiam theatri anatomici Lipsiensis spectant: e. g. Mandatum Principis his verbis expressum: „Zudem soll der Professor Anatomiae et Chirurgiae auch in einer publica Anatomia alle Jahre zum wenigsten einmahl in einem humano corpore, wenn es vorhanden, was er gelesen demonstriren und weisen, und das erste Jahr figuram und compagem omnium ossium, aufs andre Jahr die musculos, cutem, atque una inter secundum intercedentes partes et intercurrentia vasa, venas arterias et nervos, aufs dritte Jahr aber ventrium trium, h. e. capitis thoracis et abdominis contenta viscera demonstriren und zeigen.“

De Lischwitzio, qui loco defuncti munere Physici publici Senatus Lipsiensis functus est, alio tempore et loco agemus.



Transeundum enim nobis est ad id, cujus causa haec sunt praemissa, ad indicendam nimirum inaugurationem

VIRI ORNATISSIMI

CHRISTIANI ERNESTI IMMANUELIS HAMMERI

MEDICINAE BACCALAUREI

DIGNISSIMI.

*qui haud vulgarem in arte anatomica dexteritatem, inque rebus medicis scientiam et experientiam nobis probavit atque in hunc fere modum de vitae suae ratione exposuit:*

*Anno MDCCXCIV natus sum. Patrem habui M. JOANNEM FRIEDERICUM GVILIELMUM HAMMERUM in pago Wahren prope Lipsiam verbi divini ministrum et matrem RAHELAM FLORENTINAM, ex gente OELSNERIANA oriundam. Primis scientiarum elementis usque ad annum aetatis decimum privatim in domo paterna, praeceptores, quorum memoriam semper venerabor, me imbuerunt. Inde ab anno MDCCCV usque ad annum MDCCCIX, Lipsiae scholam urbanam frequentavi, quae ibidem felicissimis sub auspiciis magistratus summe venerabilis civibus grata ac de juventutis institutione bene merita floret. Schola relictā privatim studia, quae adamare coeperam, colui, anno deinde MDCCCXII. semestri hyberno a Viro summe venerabili, TITTMANNO Rectore tunc Academiae Magnifico, in numerum civium academicorum receptus sum.*

*Votorum itaque, quae pectore semper foveram, ut ad medicinae artis studium accedere mihi liceret, compos factus, primo cursus academici semestri, ROSENMUELLERUM Virum Excel-*



lent. et *Experient.* in scholis anatomicis nec non in exercitationibus anatomicis, habui praeceptorem, *Experient.* BOCKII etiam institutione iisdem in scholis usus sum. Eodem semestri Virum Illustrum PLATNERUM audiui, Logicam et Metaphysicam tradentem.

Per aetatem anni MDCCCXIII. duce ROSENMUELLERO, Fautore ac Patrono, omni pietatis cultu a me colendo, post proelium prope Lützen pugnatum, in nosocomiis militaribus, instituendis exercitationibus medico-practicis interfui. Omnium autem quum propemodum hominum conditio isto tempore miserrima esset, ego etiam sortem tristissimam ferre, fortuna adversa coactus sum. Ingravescente contagione perniciosissima et ipse ea in nosocomio Lösnigiensi correptus, omnibus fere corporis viribus febre nervosa confectis vitae meae sustentationem, soli Patrono meo ac Fautori Illustri ROSENMUELLERO debeo. Ejus beneficio vitae restitutus, quum eodem fere tempore, parentes dilectissimos isto morbo pestifero confectos amisissent, ad studia, per aliquod tempus a me invito intermissa, semestri aestivo MDCCCXIV me retuli, et per aetatem ROSENMUELLERUM et BOCKIUM Anatomiam tradentes audiui. Interfui quoque scholis super Physiologia a Viro Excellentissimo et Experientissimo KUEHNIO institutis. Botanicen *Experient.* SCHWAEGRICHEN exposuit, Chemiam verum *Excellent.* et *Experient.* ESCHENBACHIUS, mihi tradidit. Per hyemen ejusdem anni interfui praelectionibus Illustris PLATNERI super Physiologia institutis. Pathologiam et Chirurgiam *Exp.* KUEHN, Physicam et Chemiam



*Excellent. GILBERT mihi tradiderunt. Per semestre aestivum anni MDCCCXV Virum Excellent. et Experient. LUDWIGIUM, Materiam medicam et Therapiam tradentem audiui. In Pathologia et Therapia speciali Exp. et Excell. HAASIUM Sen. habui praeceptorem, Exp. WENDLERUS doctrinam de febribus nervosis mihi enucleavit. Experient. et Excellent. PUCHELT, cujus etiam exercitationibus policlinicis interfui, Historiam medicinae, Pharmaciam autem Excell. et Exper. ESCHENBACHIUS eodem semestri mihi tradiderunt. Per aliquot annos etiam praecepta artis obstetriciae, et quidem theoreticae anno MDCCCXIV: practicae verum inde ab anno MDCCCXV usque ad annum MDCCCXVII. Virum Excell. et Exper. JOERGIIUM, tradentem, habui praeceptorem maxime colendum. Per integrum annum institutum regium clinicum sub Excellent. et Experient. Virorum CLARI et WENDLERI auspiciis frequentavi, nec non KUHLLI Viri Excellent. et Experient. ambulatorio chirurgico et examinatoriis de chirurgia exercitiis interfui. Per plurium annorum spatium autem, quo in alma litterarum sede Lipsiensi studio medicinae operam navavi, quum munere amanuensis publici in Theatro anatomico, functus fuisset, emenso curriculo academico, laudatam provinciam, mihi sanctissimam, successori meo demandavi, viriunquemearum tenuitatem, tentaminibus, legibus praescriptis, subicere ausus sum.*

*Omnibus verum praeceptoribus academicis meis, Summe Venerandis, si pro maximis in me meritis ad ultimum usque vitae meae halitum me sentiam obstrictissimum cultorem — Tuas*



tamen inprimis, *Fautor ac Patrone, summa pietate Colende, Illustris ROSENMUELLERE, laudes meritas, esti ad seram usque senectutem vitam continuare mihi liceret, satis extollere non valerem. Tua enim cum erga me merita innumerabilia sint et maxima, indulgeas, Vir Illustris, juvenili fervori, qui me pia vota, quae in pectore erga Te foveo, non sinit reprimere. Velit Numen ter Optimum Maximum, Te Patriae, almae Academiae et omnibus iis, qui Te venerantur, diu adhuc conservare ac fausta quaeque et benigna Tibi largiri. Sicuti verum me semper habebis nominis Tui cultorem devotissimum, ita, ut et in posterum honorifica Tua benevolentia me exornare velis, abs Te enixissime rogo. —*

---

Quum vero Candidatus die XXVI. April. anni currentis ab Ordine Nostro Baccalaureatus honoribus ornatus esset, et in examine altero d. XXI. Junii a. c. cum eo instituto, spei nostrae et existimationi de eo conceptae satisfacisset, non dubitavimus, quin eum dignum judicaretur honoribus in medicina et chirurgia summis. Licentiam igitur ei dedimus capessendi hos honores, dissertatione a se conscripta sistens *tumorum morbosorum in cerebro observationes novas* sub meo praesidio proximo die Veneris, qui erit d. V. Septembr. publice defendenda. Quo facto, ego pro auctoritate mihi ex Ordinis Nostri decreto concessa, honoris, quem petit, ornamenta ei deferam et dabo.



Nihil vero est, quod magis a Vobis RECTOR ACADE-  
MIAE MAGNIFICE, SERENISSIMI PRINCIPES, ILLUSTRIS-  
SIMI COMITES, UTRIUSQUE REIPUBLICAE PROCERES  
GRAVISSIMI, VOBISQUE COMMILITONES CARISSIMI, pe-  
tam, quam, ut praesentia Vestra velitis solemnitatem hujus actus  
gravissimi augere; atque hac ipsa re novum benevolentiae atque  
humanitatis Vestrae documentum exhibere, quod pio gratoque  
animo semper venerabimur.

P. P. Domin. XIII. p. Fest. S. S. Trinit. A. R. S.  
MDCCCXVII.

---



(D.)  
IOANNES CHRISTIANUS ROSENMÜLLER

UNIVERSITATIS LITTERARUM

LIPSIENSIS

H. T.

PRO CANCELLARIUS

PANEGYRIN MEDICAM

D. XXV. IUNII MDCCXCIX

CELEBRANDAM

INDICIT.

---

*De viris quibusdam qui in academia Lipsiensi Anatomes  
peritia inclaruerunt.*

VIII.



IOANNES CHRISTIANUS ROSENKRANTZ

UNIVERSITATIS LITTERARUM

LIPSIENSIS

PROFESSOR

PANEGYRICI MEDICAM

DE

DE

De rebus quibusdam que in academia Lipsiensi

perita inveniuntur

MIL



Quum virorum, qui in ullo scientiarum artiumque bonarum genere eruditione atque meritis inter alios eminuerunt, notitia accuratior, peritis et exercitatis iucunda, tironibus valde utilis sit, haud inanem operam me sumere mihi videor, si in enarrandis vitis Anatomicorum clarorum pergam.

Et primus quidem qui nobis in contemplanda virorum id generis illustrium serie iam conspiciendum sese praebet, est AUGUSTINUS FRIDERICUS WALTHERUS natus Witembergae A. C. MDCLXXXVIII. d. XXVI. Octobr. patre Dr. *Michaeli Walthero*, tum temporis in Academia Vitembergensi Theologiae Professore. In tenera aetate varias fortunae vicissitudines et casus acerbos expertus est. Nam matrem amisit infans octo dierum ipsumque patrem puer quadriennis praematura morte sibi ereptos. Pupillum *Christianus Vater* Medic. Doct. et Professor eiusque coniux, defunctae matris *Waltheri* soror in domum receperunt, et ad annum aetatis decimum usque, diligenter educarunt. Inde in *Deutschmanni*, Professoris Theologiae et avi materni, domum pervenit. Adolescens XVII. annorum civibus Academiae Vitembergensis adscriptus, *Christiani Vateri*, *Ioh. Irenothei Bergeri*, et *Adami Brendelii* disciplinis eruditus est. His praeceptoribus cum per annos quatuor usus esset, ann. MDCCIX. *Ienam* se contulit, ibique *Hambergerum*, *Georgium Albertium*, et



*Georgium Ehrhardum* audivit. Eodem anno cum *Abrahamo Vaterno* eiusque fratre *Christiano*, qui postea *Dresdae* vixit causisque iudicii publici agendis operam dedit, iter fecit *Hollandiam*. Inde in *Angliam* transnavigavit ibique, postquam *Academiam Oxoniensem* et *Cantabrigiensem* invisisset, per menses octo *Londini* commoratus est, ubi praelectionibus *Francisci Hawksbii* et *Iac. Hoydsonsii* auditorem se praebuit et cum *Ioanne Sloane*, *Rich. Mead*, *Ioanne Woodward* et *Conrad. Sprengelio* consuetudinem habuit. Tum *Hollandiam* reversus, *Amstelodami* apud *Franc. Ruyshium* magno studio sese in arte anatomica exercuit, itemque *Ravio* aliisque aegrotos chirurgia curantibus praesto fuit. Tandem in urbem patriam rediit, ibique A. C. MDCCXI. d. XXI. Decembr. summos in Philosophia honores consecutus est. Anno post iura Magistri Lipsiensis acquisivit defendenda disputatione sua *physico mathematica de lente crystallina oculi humani*. Lips. MDCCXII. 4. Doctoris Medicinae dignitatem adeptus est *Vitembergae* et Praesid. *Berger* conscripsit *dissertationem de secretionem animali*. His rebus bene gestis Lipsiam reversus, defendit d. V. Maii MDCCXIII. cum Respondente *Ioh. Carol. Regis Disputationem physiologicam de sanguine in suo per vasa progressu retardato acceleratoque*. Ab hoc inde tempore annos complures praelectionibus academicis habendis et aegrotis curandis consumsit usque ad obitum *Pauli* ann. MDCCXXIII, cui in munus Professoris Anatomiae et Chirurgiae successit. Quod munus, cum iniret, conscripsit *Programma De indagatione Mechanismi, Anatomices scopo* Lips. MDCCXXIII. 4. Locum in fa-



cultate medica obtinuit defensione disputationis suae *De fibra motrice et influente nervorum liquido Lips.* MDCCXXIII. 4. Anno MDCCXXV. vergente, *Bergeri* commendatione adiutus, *Celsissimae Reginae Christianae Eberhardinae* Archiater factus, et A. MDCCXXVIII. a Rege ipso titulo Archiatri regii ornatus est. Tum assessores Collegii Principum minoris eum in Collegium et ordinem suum cooptarunt et quadriennio post Senatus Lipsiensis officio Physici urbani praefecit. *Ettmüllero* Professore Pathologiae defuncto, in defuncti locum suffectus, simulque in Collegium Principum maius receptus est. Tandem post obitum *Pol. Gottl. Schacheri* Facultatis medicae Decanus, Professor Therapiae, nec non Consiliarius aulicus factus est. Anno MDCCXXX. hortum botanicum coluit, cuius plantas exoticas in catalogum referri et aliquoties typis descriptum evulgari iussit. Huius horti cultum et curam, postquam Noster d. XII. Octobr. MDCCXLVI. supremum diem obiisset, suscepit eius haeres Dr. *Christ. Gottl. Ludwig.* Testamento legavit sortem 4000 thalerorum, cuius redditus annui in tres medicinae studiosos per facultatem medicam praevio examine eligendos, stipendii nomine ita dividerentur, ut primus C reliqui L thaleros acciperent, hocque beneficio per triennium fruerentur. Bibliothecae Academicae, quam dum adhuc inter vivos esset, libris et manuscriptis opipare muneratus erat, de sua libraria suppellectili tot librorum testamento reliquit, quot pretium 5000 thalerorum aequaret.

Quum ad ann. MDCCXXIX. usque prosperrima valetudine usus esset, hoc tractu temporum febris tertiana affectus est. Anno MDCCXLIII. dum *Dessaviae* in comitatu *Principis Asca-*



*niae* degeret, subitaneis ex haemorrhoidis doloribus corripī coepit. E *Dresda* ann. MDCCXLIV. domum reversus magnam molelem sensit in pelvi, noctes insomnes duxit et e thermis Carolinis, in quibus mense Iulio frustra salutem quaesiverat, valde languidus domum rediit. Magnas molestias perceptus ex alvi profluvio et continuo tenesmo, amplius triennio pertulit. In his aegritudinibus religio ei unice perfugium et solatium dedit, quapropter sibi saepius Psalmos et *Marpergeri* librum qui inscribitur: *Kranken- und Sterbebette*, nec non hymnos sacros recitari iussit. Qui ad eum invisendi gratia accedebant, ab eo rogabantur, ut pro se preces facerent. Quum hora matutina prima mortem appropinquantem praesentiret, exclamavit: o Iesu miserere mei et libera me! Tum petiit ut *Ioh. Mathesii* canticum: *Aus meines Herzens Grunde etc.* sibi praecantarent, quo absoluto emissa voce: *satis est* — exspiravit.

Scripta eius praecipua sunt fere haec: *Designatio plantarum horti sui c. figg. Lips. 1735. 8.* — *De Silphio Lips. 1746. 4.* — *De Articulis et Ligamentis pedis. Lips. 1729. 4.* *Supplementum Lips. 1731. 4. c. figg.* — *Observationes novae de musculis Lips. 1733. 4.* — *Historia suffocationis Lips. 1729. 4.* In hoc libello quoque pori sebacei partium genitalium et lacunae urethrae describuntur. — *Teneriorum musculorum humani corporis anatomicae repetita qua observationes anatomicorum cum suis contulit, tabulam faciei internae adiecit etc. Lips. 1731. 4. c. tab. aen.* — *De obesis et voracibus Lips. 1734. 4.* — *De deglutitione naturali et praepostera Lips. 1737. 4.* — *Observationes novae de musculis Lips. 1733. 4.* Musculum singularem splenii accessorium, musculum occipitalem in aurem desinentem, quinque



musculos lumbricales in manu et alia observavit. *De oscitatione Lips.* 1738. 4. — *De vomitu Lips.* 1738. 4. — *De larynge et voce Lips.* 1740. 4. — *De fabrica auricularum cordis Lips.* 1738. 4. Fibras musculares in septo atriorum valvulaque Eustachii describit et auriculam dextram se in venam cavam, tanquam sphincter efficacem praebere asserit. — *De erubescensibus et venarum capitis tumore Lips.* 1739. 4. — *Paris intercostalis et vagi corporis humani anatome Lips.* 1733. 4. — *Pars altera* 1735. 4. — *De lingua humana Lips.* 1724. cum tabb. aen. — *Harlemi* 1745. 8. Observavit quosdam minores ductus glandularum sublingualium, aliosque maiores ductibus Bartholinianis similes. Anonymus quidam has obervationes impugnavit in Actis Eruditorum ann. 1725. *Waltherus* vero se defendit in Actis Eruditorum 1727. pluresque observationes adiunxit. In libello de lingua coniecturas proponit de ductibus glandulae thyreoideae quos etiam icone expressit. *De angustia intestinorum Lips.* 1737. 4. — *De vena portae Progr. I et II. Lips.* 1739. 4. — *De collo vesicae virilis Lips.* 1745. 4. — *Thesaurus observationum Lips.* 1715. 8. Inter alia etiam monstrorum nonnullorum descriptiones in hoc libro extant. — *Tabula arteriae coeliacae Lips.* 1729. 4. c. tab. aen. — *Exercitat. angiologica de vasis vertebralibus Lips.* 1730. 4. — *De anevrysmate aortae Lips.* 1738. 4. — *De vena bronchiali Lips.* 1731. 4. — *De ductu thoracico bipartito Lips.* 1731. 4. — *De membrana tympani Lips.* 1725. 4. In hoc libro leguntur quaedam de hiatu Riviniano tympani et de illis a Valsalva indicatis orificiis, ad vasorum transitum destinatis. — *Programma quo ad orationem de usu et praestantia solidioris in anatomicis scientiae invitat. Lips.* 1723. 4. — *De*



*intestinorum ex obfirmati habitus vitio Lips. 1731. 4. De frigore in febrium intermittentium accessione Lips. 1740. 4. — De inflammatione Lips. 1741. 4. — De temperamentis et deliriis, Lips. 1741. 4. — De balneis aquae dulcis Lips. 1744. 4. — Vom Verbrechen der Kinder Leipzig 1781. 8. — Sarcocoeles eximiae historia, Act. Erudit. 1725. — Descriptio penis monstrosi in Act. Erudit. 1729. — Anatome duorum herniosorum in Act. Erudit. 1738. — De scarificatione occipitis plurium capitis morborum auxilio Lips. 1741. 4. — De cathetere et unguentis vesicae collo virili inferendis Lips. 1745. 4. — De nitroso sale plurium fontium. Lips. 1744. 4. — De inquirendis in anatomia maxime iis, quae propter exilitatem aliorum oculos effugerunt. Lips. 1724. 4. — De senum prorsus aliis quam iuniorum visceribus, partibusque mollibus aliis in iuvenibus, aliis in vetulis, ex cadavere aniculae nuper observatis et demonstratis. Lips. 1725. 4. — De anatomes et diaglyphices mutuo auxilio similibusque incrementis. Lips. 1726. 4. — Programma ad anatomiam publicam cadaveris foeminae morbo convulsivo, prolapsu uteri et omphalocoele, cum viveret affectae, spectandam invitantis, et de nervis velut historiam exponentis Lips. 1727. 4. — De motibus et mutationibus in corporibus gravidarum. Lips. 1733. 4.*

Iam vero nobis properandum est ad id cuius caussa haec scribenda nobis erant, ad commendandum humanissimum Candidatum. Is est



VIR

PRAECLARISSIMUS ATQUE DOCTISSIMUS

MAURITIUS KUESTNER

LIPSIENSIS

MEDICINAE BACCALAUREUS DIGNISSIMUS

MAGISTER OBSTETRICUM PUBLICUS SECUNDARIUS APUD VRATISLAVIENSES,  
SOCIETATIS LINEANAE LIPSIENSIS SODALIS

qui vitae suae studiorumque rationem sequentibus narrat verbis:

*Natus sum Lipsiae die XXI Iunii ann. MDCCXC, patre Ernesto Guilielmo Kuestnero, utriusque Iur. Doctore, Reverendi capituli Wurzensis et Zizensis Canonico, matre Christiana Erdmutha e gente Fregiana, quos carissimos parentes adhuc superstites esse mihi gratulor.*

*Primam institutionem et religionis elementa debeo praeceptoris privato C. F. Zuendlero, theologiae Candidato, ante breve tempus mihi erepto, a quo non solum omnibus iis, quibus aetas puerilis erudi solet, bonis artibus, sed etiam humanioribus litteris maxima cum cura instructus sum atque ita exornatus, ut amplissimorum insignis amoris ac benevolentiae documentorum, quae mihi exhibuit, memoriam non unquam depositurus sim. Postquam usque ad decimum octavum aetatis annum domestica educatione et institutione in pago Trossin prope Torgaviam sito fruitus eram, tanta me tenuit naturalis rei cognoscendae cupiditas, ut arti medicae medicare constituerim. Cum tamen privatam disciplinam minime mihi ad salutarem artem discendam sufficere bene perspiceret optimus pater, cui ob summa sua merita obstrictissimum me sentio, anno MDCCCXmo Erfordiam me misit, tradiditque Excell. Trommsdorffio, Professori chemiae celeberrimo, ut in schola pharmaceutica, quae sub clari huius viri auspiciis floret, ad altiora studia praepararer. Hunc in finem praelectionibus, quas ipse Trommsdorffius vir Illustris de logica, chemia, pharmacia physicaque, et de arte formulas medicamentorum concinnandi, aliisque medico quam maxime necessariis doctrinis habuit, in-*



terfui; botanicas autem caeterasque historiae naturalis disciplinas atque materiam medicam a BernharDO, mathematicas a Sieglin-  
gio accepi, quibus praestantissimis viris, quantum debeam, verbis  
exprimere haud possum; inter eos inprimis Trommsdorffius mihi  
fuit praeceptor fidissimus, meque sua amicitia fortunavit. Ab hoc  
Ampliss. Viro, quum me dignum iudicasset, qui ad caeteras disci-  
plinas transirem, mense Septbr. anni MDCCCXI ad urbem paternam  
redii, ut in hac antiqua musarum sede arti medicae operam darem.  
Inter cives academicos a S. R. Tzschirnero, tum temporis acade-  
micos fasces tenente, receptus, primum b. Platnerum logicem, me-  
taphysicam et philosophiam moralem tradentem audiui, deinde ad alias  
doctrinas transii. Et anatome quidem eximia Rosenmuelleri, Viri  
Illustris et h. t. Gratosi ordinis Decani, opera imbutus sum, cuius ob  
siugularem in me humanitatem et curam per omnem vitam gratissimo  
animo recordabor. Sub eiusdem praesidio etiam cadaverum humano-  
rum secandorum occasionem non neglexi, sicut exercitationes examina-  
torias anatomicas, quas tam benevole habuit, maximo cum fructu fre-  
quentavi. Praeterea lectiones anatomicas Bockii, Prosectoris, et b.  
Beckii, A. L. Magistri et Med. Baccal., audiui. Physiologiam, Exp.  
Kuehnius et b. Platnerus, historiam naturalem speciei humanae ac  
therapiam generalem Exp. Ludwigius me egregie docuerunt. Chi-  
rurgiam a b. Gehlero, cuius mortem etiam nunc gravissime lugeo, pa-  
thologiam ab Exp. Puchelto, anatomiam comparativam ab Exp. Caro,  
magnetismum animale ab Exp. Wendlero accepi, Exp. Eschen-  
bachius, qui mihi meisque rebus semper tam egregie consuluit, atque  
tantis summi favoris documentis me ornavit, ut ea, dum vita fruor, sum-  
ma cum pietate et observantia prosecuturus sim, pharmaciam, cum theo-  
reticam tum practicam, mihi exposuit, nec non lubentissime concessit, ut  
inter eos, qui sub eius auspiciis disputando exercentur, reciperer.

Anno MDCCCXIII, quo fere omnes praelectiones in universitate  
Lipsiensi terrore belli interrompebantur, non potui, quin functionem



*chirurgi in nosocomio militibus impugnis pro liberanda patria sauciatis repleto, cui viri Expp. Ritterichius et W endlerus praeerant, in me susceperem, et per sex menses curam, quantum fieri potuit, in aegrotos vulneratos converterem, atque chirurgiam maximo rei meae commodo exercerem. Benignitate enim Expp. Ritterichii et W endleri, quibus pro tot tantisque beneficiis in me collatis gratum perpetua animum spondeo, mihi larga facta est occasio, operationes chirurgicas, easque gravissimas instituendi.*

*Francogallis, pugna illa inclutissima ad nostram urbem commissa, victis, omnes inprimis iuvenes proclamatione solenni a Russorum Imperatore ad arma capienda patriae defendendae gratia invitabantur, qua evocatione commotus primus nomen inter milites voluntarios cohortis Saxonicae professus sum, et inde equo adversus Francogallos ultra Rhenum merui. Bello finito in patriam redux statim arma deposui, et, ut cursum studii medici rite prosequerer, in academiam Lipsiensem iterum me contuli, et, paulo post mense Ianuario anni MDCCCXV, examine theoretico superato, a Gratoso medicorum ordine Baccalaureus creatus sum. Deinde oculorum morbis medendi rationem b. Platnerus et Exp. Heinrothius, therapiam specialem Ill. Clarus et Exp. Haasius me egregie edocuerunt. Tum scholae regiae clinicae adscriptus, in medicina clinica Ill. Clarum et Exp. W endlerum, in chirurgia Exp. Kuhlium praeceptores habui, quibus pro eximia benevolentia publice hic gratias, quas possum, maximas ago. Contigit mihi etiam, esse tam felici, ut praelectionibus Exp. Ioergii de morbis sexus foeminei ac de arte obstetricia, cum theoretica tum practica interesssem, et, tyrocinio huius scientiae posito, in scholam obstetriciam, quae in instituto Trieriano ab eo magno discentium commodo moderatur, reciperer, in qua per annum, et quod excurrit, non solum Exp. Ioergio duce artem obstetriciam exercere didici, sed etiam a clarissimo hoc praeceptore dignus habitus sum, qui munere amanuensis et socii in praxi, tam publica, quam privata, fungerer. Ob fructum, quem inde reportavi, me ipsum adeo obstrictum sentio, ut animum erga eum gratissimum publice significare hic omittere non possim, quamquam modestia ipsius, quo minus apertis verbis declarem, quantum ei debeam, me prohibet. Tanta autem amoris*



*vere paterni testimonia mihi exhibuit vir clarissimus, ut praeceptorem dilectissimum et praeclare de me meritum usque ad extremum vitae spiritum summa cum reverentia veneraturus sim. Tempore quodam praeterlapso, cuius memoria mihi dulcissima manebit, fors ita tulit, ut munus praeceptoris obstetricum secundarii ad Maiocomium regium Vratislaviense ad me deferretur. Diu quidem haesi, utrum hanc doctoris provinciam caperem, nec ne? Cum tamen prae caeteris medicis disciplinis obstetricia arte potissimum delectatus essem, insimulque sperarem, fore, ut mihi et Vratislaviae utpote in schola frequentissima, quae ibi floret, largior occasio sit, partus observandi, auxiliumque parturientibus ferendi, quam Lipsiae, apud animum constitui, Potentissimum Borussiae Regem supplex adire ausus sum, ut me munere illo pro clementia sua ornaret. Annuit his precibus Potentissimus Rex, mihiq; data est provincia doctoris obstetricum secundarii, cui per quatuor fere annos praefui; neque solum intra hoc tempus septingentis et undeviginti partibus normalibus adfui, atque ducentis et sedecim feminis, quarum partus plus minusve laboriosus et difficilis erat, vel medicamentis, vel manu et instrumentis opem tuli, sed etiam docendo foeminas obstetricias, quarum numerus ducentesimum superat, officio mihi imposito pro viribus satisfacere studui. Praeterea literis imprimis, medicinae ediscendae, quantum licuit, privatam operam impendi, ut rursus Lipsiam regressus examini riguroso quod vocatur me subiicere die XII Iun. h. a. ausus sim.*

In examine tam theoretico, quam practico, quantum eruditione et usu artis valeat, dignissime probavit. Vt autem rite honores Doctoris Medicinae et chirurgiae, quam diligentiae suae praemia adipisceretur, dissertationem quam de *perforatione capitis in partu ancipite* exaravit d. XXV. mens. Iun. sine Praeside tuebitur. Huic actui ut Vos CELSISSIMI PRINCIPES, COMITES ILLUSTRISSIMI, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES NEC NON HUMANISSIMI ET PRAENOBILISSIMI COMMILITONES interesse velitis, officiose et humanissime rogo. Spondeo VOBIS, me summi huius beneficii nunquam immemorem fore. P. P. Dom. p. F. Trinit. III. A. C. clolcccix.

















DICTATION

SOME TIGHT  
GUTTERS

